


Библиотека Литовской
Духовной Семинарии.

Зала *А*

Шкафъ *13*

Полка *9*

Мѣсто *19.*



W. H. P.

W. H. P.

W. H. P.

VICTOR & VICTVS
VINCENTIVS CORVINVS
GOSIEWSKI.

Supremus M. D. L. Thesaurarius & Campi Mar-
schalcus, Wielisiensis, Puniensis, Marcoviensis,
Łozdźciensis Capitaneus: Oeconomiarū Mohilo-
wienſis, Graudētensis, & Olitensis Administrator,
repræsentatus,

A.

SAMVELE WESŁAWSKI
IOANNIS CASIMIRI Poloniæ & Sveciæ Regis
Notario M. D. L. & Cubiculario.
Tribuno Vpitenſi 1664.


atq;

Inter suas revolutiones

VICTRICIA & VICTA Regna POLONIÆ,
LITVANIÆ, MOSCHOVIÆ
Nunc primùm in lucem producuntur.

A.

MICHAELE WESŁAWSKI
Tribunida Vpitenſi Academico
Vilnensi, An: 1691.




Nulla me res delectat diu, quam mihi
uni sciturus sum. Seneca.



95297

10256



Illustrissimo & Excellentissimo D. Domino

IOSEPHO BOGVSLAO

S L V S Z K A

Castellano Vilenſi & Campi Marſchalco M.D.L.
Pienianenſi, Iezierzycenſi, Punienſi Capitanco.
Nec non eiufdem lectiſſimæ Conforti,

Illustriſſimæ & Excellentiſſimæ Domine

T H E R E S S I Æ
G O S I E W S K A

Paterni Sægvinis, Magnanimitatis, Opū, Hæredi:
Coniugalis Thalami, & Honorum Sociæ.

R Edivivum VINCENTIVM CORVI-
NVM GOSIEWSKI, Supremum Theſau-
rarium & Campi Marſchalcum Parentem
Veſtrum veneremini *Illustriſſimi & Excellentiſſimi*
Domini. Prodit ille in lucem, non tumuli ſqualore
deformis, (nam hunc vos omnem filiali obſequio amo-
viſtis

vistis, quando dignum eius aternitate, dignum Vestra
liberalitate perennaturi amoris monumentum ere per-
ennius, in marmoreo tumulo excitastis; sed illâ atate,
illâ Martij vultûs Majestate, oculatis sera posteri-
tatis desiderijs se obijciens, quâ florentissimam VLADI-
SLAI IV Aulam, ipse Aula decor, etate, moribus,
opibus florentissimus, Dapifer M. D. L. incoluit.

Videte videmur Lituanum Achillem nostrum, fa-
tis indomitum, Clypeo gladioq; potentem, hostilibus
jugulis etiamnum incumbere, & per infensas Patria
acies, per ignes & mille volantiatela ad Loior, Ir-
pien, Dimir, Pinsk, Mozyr, primùm Colonellum, de-
inde Generalem Artileria volitare. Dum Kiovios
arcus, pharetrasq; rebelles captivas tradit Dux RA-
DIVILE Tibi.

Excubat etiamnum pro Patria integritate, im-
mortali pervigil famâ, illâq; prudentiâ, quâ decem
millium Exercitum, omni fortunâ sibi fidum, pro-
prio ere conscripsit: illâ fortitudine, quâ Victor ad
Prostki, in Prussia, Lituania, Russia, Livonia, con-
tra Moschos, Suecos, Brandeburgicos, Thesaurarius
& Campi-Dux decertavit.

Mirabuntur serò ventura secula, infraetam il-
lam

lam Ducalis animi fortitudinem, quã tot calamitates in Moschico carcere, grandi illo scilicet GORVINIANÆ magnanimitatis theatro, sustinuit. Adorabunt flexanimam inter arma & lituos, Imperatorii oris facundiam, vibratis in ferale Patriæ excidium ensibus imperantem, persuasisq; Moschis, Brandeburgico, Tartaris, & Kozacis, ad Białocerkwiam fœderibus, immanem illam belli tempestatem (quæ uniuersæ Polonia supremum naufragium minabatur) auertentem. Sed quia magnæ Fortunæ, magna cognata est mutatio, & felicissimæ prosperitatis cursus, palmari plerūq; infortunio terminatur (nam Alexander, Germanicus, Annibal, veneno; Cyrus, Cæsar, Pompejus, coede; Marius, Bellizarius egestate; Camillus & Africanus, ille Gallis devictis, hic triumphatâ Carthagine, Civium oppressi odijs, negaturi suos cineres ingrata Patria, voluntarium sibi indixerunt exilium) hic quoq; Victor, eandem victorum subijt sortem, cum legatio jure gentium sancta, cum libertate & Patriâ exuisset, receptum in Patriam seditio militaris, vitâ; cui sedanda sese devoverat, illâ oppressus perijt tempestate.

VICTORIS & VICTI, par gloria, par
in

in Patriam studium; nam quemadmodum Victori propugnata Patria, sic victo præcautionum missarum in Patriam, restincti militaris incendij, compositiq; Civitis belli, debetur palma: ut Victor & Victus, liber & Captivus, paribus encomijs, à sera celebretur posteritate.

Hisce in Patriam meritis augustus, tot Civicis, Muralib9, Obsidionalib9 coronis redimit9, hac gloria sublimis Illustrissim9 Pater Vester, etiamnũ post fata superstes, Orbis universi aspectibus à Genitore meo, Illustrissimis Vestris Nominibus devinctissimo, proponitur. Tibi tamen imprimis presentatur, Lituane Marvors, Magne Castellane, & Campi Marschalce gloriosissime, qui filialis obsequij gloriam cum hereditate, & magistratu militari, in Te transcripsisti; Decora GOSIEVIANÆ Domũs Tuis, Tua GOSIEVIANIS conjungens. Communi plausu (Patrum memoria) uterq; Avus Vester, hinc ALEXANDER SLVSZKA Palatinus Trocensis, inde ALEXANDER CORVINVS GOSIEWSKI, Palatinus Smolenscensis, Prorex Moschorvia: uterq; Vester Patruelis, hinc SIGISMVNDVS SEVSZKA, Supremus M. D. L. Vexillifer & Colonellus, inde
CHRI.

CHRISTOPHORVS GOSIEWSKI Palatinus
Smolenscensis, in Galliam Legatus, pro eliberando
CASIMIRO Polon: Principe: hinc Parentes Vestri
BOGUSLAVS SEVSZKA Curia Thesaurarius, in-
de VINCENTIVS CORVINVS GOSIEWSKI,
Supremus Thesaurarius: hinc DOMINICVS SEV-
SZKA Palatinus Polocensis, inde VINCENTIVS
CAROLVS GOSIEWSKI posthumus, Fratres vestri,
utriq; Domui gratulantur, Vos sociali iunxisse foede-
re dextras, inq; commune decus, utriusq; Domus or-
namenta contulisse.

Damnaretur profecto non immerito Pater meus in-
grati silentij à memori CORVINIANÆ virtutis po-
steritate, si hac, quæ Moscua triennio, & omnis fortu-
na comes, in Regia, in Castris Polonicis, Lituanicis,
Moscoviticis, Kozaticis, Tartaricis; demum Regum
Poloniae IOANNIS CASIMIRI & IOANNIS
III, ad Magnum Moschovia Principem ALEXI-
VM MICHAELOWICZ, quinquies Ablegatus;
in Vkrainam quoq; & ad Tartarorum Principes i-
pse vidit, & quorum pars magna fuit, immemori
tumulasset oblivione. Paucis enim natus est, qui
populum suæ ætatis cogitat.

Ego

Ego alieni Operis Minister, dum Victorem & Vi-
ctum in lucem produco, Tuoque Nomini inscribo, Tu
Parentem Tuum optimum venerare; Victori applau-
de, Victi in-victum animum mirare; eaque humanita-
te, qua Nomen & merita CORVINI prosequeris,
posthumum in lucem prodeuntem foveas. Authorem
quoque & me Oratorem, Tua benevolentia prosequere.
At meo, quidquid studijs nunc excolitur, & dein-
ceps

Crescet in ingenio, serviet omne Tibi.

Illustrissimarum Excellentiarum Vestrarum

Humillimus Servus
MICHAEL WESŁAWSKI.
Tribunides Vpitensis
Academicus Vilmensis.

Epigramma

*In opusculum SAMVBLIS WESZAW:
SKI Tribuni Vpitensis*

*Inviētus Patria obsequijs, senioꝝ laborem
Scribendi, multos vineis & historicos.
Victorem Victum scribis, vitamꝝ redonas,
Seraꝝ victurum vincere sacra iubes.
Iam dele Victi probrum, bona causa triumphat:
Inviētus calamo coepit hic esse Tuo.*

STEPHANVS IOANNES SLIZIEN

Notarius Terrestris Ofzmianen:

Sacr: R. M. Secr:

Eidem Authori.

*Quem super aethereos fama sonus extulit axes,
Huic nihil infesta falx fera mortis obest
Insons funesto CORVINVS victima ferro
Concidit: immanis quid nocet iste furor?
Illum de tumulis altéꝝ latentibus umbris
Vindicat, & mundo sistit amica manus:*

Hic

*Hac duce per memores tendens in sacula fastos
Non potuit vitâ nobiliore frui.*

Applausit Historiæ

MICHAEL à POTOK POTOCKI Castellani-
des Camenecensis, AA. LL. & Philosophiæ

Magister.

Eidem.

*Incolit aethereas sublimis gloria sedes,
Quò volucris pandit non nisi penna viam:
Hac tendens alijs CORVINVS non eget alis,
Quem tua WĚSEAVI penna sub astra vehit.*

Accinuit.

PETRVS à POTOK POTOCKI

Castellanides Camenecensis,

Auditor Eloquentiæ

INDEX CAPITVM

quæ in hoc opere continentur.

- CAPVT I. *VINCENTII CORVINI natales, deinde res gesta, Belli Moschoritici initia, Vilna excidium.* pag. 1.
- CAPVT II. *Bellam Sueticum & Rakotcij contra Polonos, Moschorum contra Svecos.* pag. 15.
- CAPVT III. *Bellum Moschoriticum recrudescit: & aduersus confictus in campis Wercensibus.* pag. 27.
- CAPVT IV. *CORVINVS GOSIEWSKI vitus Moscuam deducitur, Moschorum ad Konotopum clades.* pag. 47.
- CAPVT V. *Valida Moschorum expeditio & clades ad Czudnoviã, Basiam, Czereiam* pag. 114.
- CAPVT VI. *Ingressus Legatorum Cesareorum Moscuam; ubi Moschorum splendor describitur. Precautiones GOSIEVII in Patriam missa. Acta in Comitijis Regni, super electione vivente adhuc Rege instituenda, & super libertate GOSIEVII* pag. 172.
- (2) CAPVT

CAPVT VII. *Clades Moschorum ad Kuszliki.*
Confederatio Exercituum Regni, & M. D.
Lithuania. Occasio libertatis GOSIEVIANÆ

pag. 224.

CAPVT VIII. **CORVINVS** *Moscua liber in*
Patriam recipitur.

pag. 250.

CAPVT IX. **VINCENTIVS CORVINVS**
GOSIEWSKI *seditioni militari sedanda*
immiscetur, & interimitur.

pag. 324.

CAPVT X. *Captivati fontes, nexus militaris re-*
solutus, deq; fontibus iudicium.

pag. 338.

CAPVT XI. *Elogium Historicum, Natales, ho-*
nores, gesta in Patria & extra illam, calamita-
tates & obitum VINCENTII CORVINI
GOSIEWSKI *complectens.*

pag. 362.

CAPVT XII. *Corollarium Historia seu Ætas*
Regnorum Polonia, M. D. Lithuania, &
Moschovia, per annos distincta.

pag. 371.

In fine additur Processus Iudiciarius in causa cadis

VINCENTII CORVINI

GOSIEWSKI. pag. 429.

CAPVT. I.

VINCENTII CORVINI *Natales, deinde res gesta,*
Belli Moschorvitici initia, Vilnæ excidium.

Rerum gestarum ærumnarumq; memoriam, quamvis dulcem esse Sapiens iudicaverit, *Seneçæ* nihilominus cùm fuerit in fatis VINCENTII CORVINI GOSIEWSKI, Magni Ducatûs Lituaniæ Supremi Thesaurarij, & Campi Ducis, tot trophæa, eventu atroci in Patria terminâsse; acerbâ & prodigiosâ, orbis meritò iudicavit. Dulcem tamen fore, recognoscenti hoc opus, minimè ambigo; cùm duæ prævalidæ gentes, non tam de Ruffiæ integro imperio, & opibus, quàm de origine tot bellorum Smolensco, certantes, (utrâq; quindecennio depugnante, & faciente iacturam, quâ Regna emissent) tot hostium clades, tantæ bellorum moles, in uno Regno recondendæ, sese simul obijciant. Seriem rerum feliciter gestarum recensere esset animus; nec enim deest materia scribendi, & virtus se-

A

pten-

ptennali antè hac bello Kozatico, multis prælijs exercitata, sese offerret uberrima: sed quandoquidem casus adversi virum probant, & post trophæa, perplexa fortuna

tot volvere casus,

Virgilius

*Insignem pietate Virum, tot adire labores,
Impulit;*

hinc proindè ordiar factorum eius initium, unde difficillimis Patriæ nostræ temporibus, enituit in eo pro Patria, opum, libertatis, sanguinis, & vitæ prodigalitas. Nec te absterreat ô Lector, Carceris Moschovitici deformitas, immò parem trophæis æstimes, cum Magni BOHEMVNDI Antiochiæ Principis *a*, BALDVINI & GVIDONIS, Hierosolymorum Regum *a*, LVDOVICI Sancti *a*, PHILIPPI *a*, Galliæ Regum, Saracenicus *a*: RICARDI Angliæ *a*, FRANCISCI Galliæ *b*, Regum, Austriacus: VALENTINIANI Imperatoris *c* Persicus: LVDOVICI Cæsaris *d* Italicus: MAXIMILIANI Archiducis, SZVYSCHII Moschi *e* Polonicus: BALDVINI Imperatoris, Bulgaricus: ROMANI Imp: *f* Persic⁹: IOAN-

a. Æmilibus de rebus Fræ:

b. Spondanus.

c. Barozius.

d. Sleidan de amonar:

e. Piaszeki.

IOANNIS *f* Galliae, & DAVIDIS Scotiae *f* Ang-
licus: FRIDERICI Austriae, *d* Bavaricus: VI-
TIGIS *c* Belisarianus: atq; adeo ipsiusmet BE-
LISARII *c* casus (ut omittam Syphaces, *g* A-
fricani filios, *g* Aristomenen *f* Philopomænen
g cæteraq; vetustatis vocabula) multis nomini-
bus inter trophæa, victoriasq; promiscuè cele-
bretur carcer.

³
f. Dogli-
oni in
theatro
Princi-
pum.
g. Livio

CORVINIS Roma originem, Hungaria Regû
progeniem, Lithuania Natales VINCENTIO
contulêre. Quos Parentibus ALEXANDRO Pa-
latino Smolen: Matre EVA PACOWNA forti-
tus, primam ætatem studijs Vilmæ, Viennæ, Ro-
mæ, indeq; redux in Aula VLADISLAI IV.
excoluit. Hoc magno Rege vitâ functo, mul-
tiplicia bella Remp: excepêre. Quibus iam tunc
septennio durantibus, magnitudo animi, & avi-
ditas bellicæ gloriæ, in illo omnibus in Rep:
tum maximè IOANNI CASIMIRO Pol: Regi
probata extitit, postquam eius directione, Comi-
tia Regni Pol: Mq; D. L. continuata, electionem
sui, Kozacis rebellibus ad Bialocerkwiam pacē

Vincen-
tis Cor-
vinus bel-
li & pa-
ris arti-
bus Regi
Pol: cõ-
per-
medatq;

*Thefaurarij
re-
suntia-
tus.*

persuasam, ubiq; profusis opibus, Princeps vidit; facile in animum suum induxit, ut Tanto Viro Senatorium in Rep. Thefaurarij Supremi, demandaret munus. Postquam ab eodem, proprio ductu ad Iрпиен decem millia Kozacorum deleta; ad Dimir triginta millia profligata: alienis autem auspicijs ad Łoiow inter acerrimum belli certamen, glande ic̄to & confosso iam equo, aciem restitutam, primum victoriæ momentum additū: ad Łoiow secundò, Mozyr, Bobroyk, Pinsk, operam navatam, ubiq; fortiter ac gloriosè, inaudisset, eundem militari destinabat imperio.

Cum emoriente interim publica Polonorum & Lithuanorum fortuna, multorum Poloniæ Procerum emoriebatur vita. Plurimos inter, supremum obierat diem IANVSSIVS KISZKA Palatinus Polocensis, Supremus Exercituum in Magno Duc; Lith: Generalis. Cuiam imperatoria in exercitu demandaretur potestas, eò magis ambigebatur, quòd Resp: iam septennali bello cum Kozacis exacto, impendentis quoq; Moschovitici belli metu, laborabat. IANVSSIVS RA-
DZIWIŁ

DZIWIL Palatinus Vilenſis hucufq; Campi
 Marſchalcus: VINCENTIVS CORVINVS Su-
 premus Theſaurarius, officio idonei, bello ge-
 rendo pares habiti. Ille Supremus Exercituum
 Generalis, hic Campi Marſchalcus renuntiatus,
 Magna quidem nomina, magnis Magiſtratibus de-
 ſtinata, ſed deerat robur, eos magiſtratus ca-
 peſſentibus. Vires non adco validæ à Rep: de-
 cretæ, quàm temporum ratio, ac hoſtis Moſcho-
 via, viribus & numeroſiſſimis copijs ferox, po-
 ſtulabat. Quindecim millia deſcripta in Lithua-
 nia cenſebantur, fortalitia longâ pace collapſa,
 à Repub: nec reſtituta, nec proviſa, Miles ſtipē-
 dia expoſcebat, Reſp: alieno ære laborabat. De-
 niq; non omnibus decus publicum curæ; plures
 tuta, pleriq; indiçto bello, fugam non conſilium
 arripiebant.

*Tum
 Campi-
 dax.*

ALEXIVS MICHAŁOWICZ Magnus Mo-
 ſchoviæ Princeps, contra Polonos & Lithuanos,
 diu meditatam bellum, non ultrâ dilaturus: quã-
 quam vetuſtate pacis coalitas vires & audaciam
 apud ſe haberet, omnium tamen primùm Koza-
 corum

*Anno
 1654.
 M. Mo-
 ſchoviæ
 Princeps
 movet
 contra
 Polonos.*



95297

Kozacorum rebellem insolentiam (quæ illâ tē-
pestate, parem se potentissimis Regnis, potenti-
tâ ferens; Turcis, Moschis, Suecis, Tartaris,
Transylvanis offerebat amicitiam) sibi in clien-
telam, & belli subsidium, assumpsit. Iuramen-
tum à *Bobdano Chmielnicki* quantocyus recepit:
Kioviæ, Nizyno, Pereaſtaviæ, Czerniechoviæ,
alibiq; per Vkrainam, imposuit præſidia: Tre-
centa inſuper millia Moschorum armavit. His
copijs per Vkrainam, Wołyniam, Severiam, Smo-
lenciam, Polociam, Vitebſciam, & Livoniam,
velut uno agmine, ſimul intulit bellum. *Ba-
ſilio Buturlin* cum 30000 Vkraina commiſ-
ſa; Polocia, Vitebſcia, *Szeremethio* cum 30000
demandata. Mſciſſaviam, Orſam, belli Ducibus
Czerkaſcio, Odoiencio, Trubeccio, Dołgorukio centum
millia præmiſſa. Ipſe Princeps reſiduus, Smolen-
ſcum (quod olim creptum SIGISMUNDO
I Pol: Regi, iterum SIGISMUNDVS III
iam) apprimè munitum, de integro Moſcho-
viæ Imperio capto, adiunxit Lithuaniae, in-
gentis ſcilicet prædæ tenuem portionem, &
magni

magni posteris originem belli) cinxit obsidione.

*Initia
belli fan-
ta Lit-
uanis;
eventus
tristia.*

Initia belli non infeliciter Lithuanis cesserunt, nam *Odoiemski* Astrachanæ Gubernator, à *Ganskoffio* castris exutus: ad Szklóviam cētum millia Moschorum, à IANVSSIO RADZIWIL acie submota: reliquum belli cessit fortunæ Moschorum. Lithuanicæ copiæ, ipsâ multitudine hostium ad Szepielice oppressæ; fortalitia ope destituta, aut capta, aut dedita. Polonia, Newel, Siebiez, Mohilow, Szklów, Homel, deditioem paciscuntur. Dubrowna, Vitebscia, inexpugnabiles quidem gerebant animos; ita tamen, ut Smolensensium acerrimè sese tuentium, circumspicerent exitum. Smolensco vi, assultu, & metu fracto, & illæ deduntur. Duo restabant per totam Russiam fortalitia: Bychovia, Wielizya; quorum præfidiarij mœnibus munitis, se ipsos in annos sequentes tutabantur.

At ubi belli exorti fama ad Regiam delata est, IOANNES CASIMIRVS Pol: Rex, Grodnam concessit: unde consilia Regni Mq; D.L. & arma in hosticum expediit. Promotæ in utramq; Rus-
siam

fiam copiæ, suppetiæ Moschorum profligatæ, Mohilovia cinctâ obsidione. Vbiq; irritò conatu: nam Mohilovia contra Lithuanos egregiè defensa. In Vkraina verò mediâ hyeme STANISLAVS POTOCKI, GEORGIUS LVBOMIRSKI cum Polono exercitu adverso Marte, contra Moschos & Kozakos conflixerunt ad Drzypole.

Anno.
Domini
1655.

Moschi
mouent
in Li-
thuaniam

At Moschoviam, quamvis hyeme, sævissima pestis pervagata est, præsentissimum Numinis vindicis telum; nihilominus primo vere à M. Moschoviæ Principe non parabatur, sed iam gerebatur bellum; numerosissima Moschorum & Kozacorū agmina in Ruffiam albam effusa, Borysthenem, mox Berezynam superârunt. Anteibant 40000 Kozakorum, Ductore *Zototorenko* Korsunensi, Ducenta millia Moschorum Equitum peditumq; ductu *Czerkascij* in Lithuaniam irrumpunt. Decem leucarum intervallo, omnium postremus cum robore belli, M. Princeps in utrâq; fortunam subsequebatur: ut siue vinceretur *Czerkascius* à Lithuanis, in expedito haberet integras copias: siue vinceret, dissipatos hostes in fugam, per-

persequeretur. Viginti millia pedites Prætoriani, optimo ordine, triginta millia equites Moschi, exoticâ disciplinâ instructi, Custodes Corporis, Principem stipabant. Tanto apparatu ad Minscum, Osmianam, magnis quidem ausibus renitentem, imparem tamen, obruit Lituaniam.

Lithuanis tantâ mole belli circumfessis, in focia Rep: Polona, (cuius causâ utrumq; bellum conflatum est) Polonis, iam Suetico & Moschovitico in Vkraina bello, implicitis, in Tartarorum Krymensium Hano spes erat: sed cunctis aliena pericula deferentibus, aut desiderio indigentium auxiliij, tardiùs cuncta movebantur. Iam etenim Moschi, Smolenscensi, Vitebscensi, Nouogrodensi, Seueriæ, Kioviæ, Czerniechoviæ, Braclaviæ, Palatinatibus, mirâ celeritate subactis, aut exustis, Vilnæ imminebant.

Præda Moschorum.

[Vilna, vastitate, opulentiâ, commercijs, frequens, à Lithuanis, Polonis, Germanis, Italis, Russis, Scotis, Tartaris, Iudæis, latissimè incolebatur: publicorum privatorumq; ædificiorum

Vilnæ excidium

B

cultu-

culturâ, multa Europæa æquabat emporia: liberalitate in Divuos ac Delubra, cum pijsſimis certabat Regnis: optimarum artium cultrix, profanarum, in Septemtrione, domicilium. Sed quòd Sociorum & ſuæ antèhac potentiæ præfideret, non ſitu aut munimentis, tuta mænia, (quæ ferocios animos facerent) habebat; idcirco Moſchis minùs formidoloſa habebatur. Vbi in conſpectum Vilnæ ventum eſt; tot incultarum gentium vocibus, tot tormentorum ictibus, Vilna florentiſſima in excidium vocabatur. Tantâ barbarorum ferociâ, *Caput ampliſſimi Ducatus petebatur, quo ſcilicet preſſo, levi negotio ipſum Lithuania Corpus opprimendum,* non vana conjeſtura erat. Pugna quidem in aditu fori à populo, vano impetu, non perſeverantiâ commiſſa eſt: animo, arte belli, armis, impar vulgus cæditur, ac inde profugum, Viliæ vorticibus hauritur. Trucidati in Vrbe inermes armatiq; , fæminæ pariter ac viri. Quidquid intra & extra Urbem ſancti amæniq; erat, incenſum: reſidua diruta, nec tecta ſolùm, ſed etiam ſepulchra. Sic nil
 Divi-

Divini humanive iuris, quidquam integrum, præ impotenti ira servatum: ut appareret, Vilnam potenti hosti, nil præter Vilnæ excidiū cordi fuisse. Generalissimi Lithuaniae, quanquā cunctatione & viribus sese opponerent; tantæ nihilominus potentiae impares, desperatâ Vilnæ defensione, residuas copias ulterioribus casibus Reip: reservare, decreverunt. Iam etenim ex immani illo Kozatico bello, velut è semente quadam, Moschoviticum, deinde Sueticum, erat exortum. *CAROLVS GVSTAVVS* Suec: Rex, bellum externum pro suo habendum ratus, accessit Moschorum fortunæ socius, inq; aliena victoriâ, hinc Maiorem Poloniam, Minorēq; deditam utramq; inde in Lithuania Samogitiâ, suam prædâ facit.

Speçtatâ igitur ab adversa Viliæ parte, Urbis conflagratione, consumptis antiquissimis delubris, pacis diuturnæ, Regiæq; opulentiae ornamentis ab hoste direptis, pontis solummodò defenso aditu, in Samogitiam itum. Pars Lithuani exercitûs, seu Ducis Supremi exuens militare imperium, seu Suecorum in Samogitia e-

*Sueticū
bellum
oritur in
Polonia.*

vitans protectionem, per Moschorum occurrētes acies, & crebros in campis Ponarenſibus cōflictus, Caunam, inde Brestiam, Duſtore CASIMIRO ZERONSKI, locum tenente GOSIEVII, euasere: ipse fato, non consilio, dum Moschis cum Principe RADZIWIŁ, ad pontem resistit, dum hostiles insultus profligat, pontēq; incendit, abreptus CORVINVS in Samogitiam: quandoquidem iter sibi cum ZERONSCIO destinaverat; sistere Moschorum victorias; expedire consilia, dum paria obijcere arma non licebat, habebat animum.

Dum verò deditâ Suecis Samogitiã, solus superesset, qui fidem suam scripto obligandam Suecis negabat, liberi eius passus Arresto præpediti, Suecorumq; Regi tradendus Captivus, (quamvis non iure belli interceptus esset) à Suecis assumitur. Cæterum Magnum *Gabrielem de la Gardie* Generalissimum Sueticum, ingenij sui dexteritate & colloquijs, usq; adeò conciliavit, ut extra publicum odium, priuatim arctissimam omni deinde vitâ coluerint amicitiam. *Tantum valuit,*

valuit, vel apud hostes, Martia Fortitudo, simulatâ licet humanitate temperata.

Iam Captivus, M. Moschoviæ Principem, Villnæ tunc degentem, clandestinâ interpellavit legatione: quâ, ut sisteret Victricia arma; præferret ambigua amicitia Suetica, iam bellum contra se, pro Samogitia & Lithuania, evidenter molienti; Polonicam semper fidam, armis, vestitu, linguâ, asfinem: & qua post sera fata IOANNIS CASIMIRI, liberis votis Se, vel unumquemq; Liberorum suorum, Regem Polonia dictura foret. Iuncta verò utraq; Regia, quàm metuenda quibusvis finitimis evaderet, cùm inde Mari Caspio, Ponto Euxino, Septentrionali, hinc sinu Finnico & Baltico, terminaretur imperium, persuadebat. In cuius rei fidè pacta conventa Suecorum cum Samogitis, (in quibus Sueci pro vindicanda Lithuania & Russia, suam contra Moschos obligârunt operam) transmisit. Servatur consilio, quod peribat Marte. Nempe, tantùm valuit apud Magnum Mosch: Principem, iusta & grata oratio, ut clàm datis CORVINO, firmatisq; fæderibus, excesserit Lithuania,

Gosieris
belli inter
Moschos &
Suecos
concitator.

niâ . Captâ interea Caunâ, Grodnâ, firmatisq; præfidijs, commiffæ acies cum *Vroffovio*, ad Brestiam & Wierzchovice, Duce PAVLO SAPIEHA Palatino Vitebscensî: illa cefsit Lithuanis, hæc Moschis; utrobiq; stetit victoria penes pugnantés pro vita & desperatione. Anno autem fequenti Suecis per Livoniam, M. Mosch: Princeps, bellum indixit: Rigam ipse numerosissimis copijs cinxit obsidione: Duneburgum, Kokenhaufum viva vi, Derpatū per deditiōem accepit. In Lithuania verò, impositis loco opportuno præfidijs, Nobilitati in sua bona reditum proclamari iussit; militiam sequi contra Succum, seu in suo, seu in Samogitico exercitu vellent: iura antiqua, libertatesq; coli permisit. Ipsâ facilitate clementiæ, animos Lithuanorum conciliavit: sed hæc â Gubernatoribus Moschis postea Religio fracta est: & tandem recrudescentibus inter Principes odijs, cuius conditionis essent victi, sensère. Querebantur quidem, non in servitūtem, sed in fidem M. Principis sese tradidisse, sibi imperari quæ moris Patrij non sint;

*Eis concitatio-
nis frus-
tus.*

sint; frustra demum ingemiscendo, parere Victori coacti. Sed hæc à Moschis acta Anno sequenti.

C A P V T II.

Bellum Sueticum & Rakotcij contra Polonos, Moschorum contra Suecos.

CA R O L V S G V S T A V V S postquam utramq; Poloniam, Prussiam, Samogitiam, Masoviam, rarâ quadam felicitate, anno elapso obtinuisset, inter prædas, CORVINVM Lithuanix Thesaurarium, à Magno *de la Gardie* Sueciæ Thesaurario, Captivum accepit: ignarus, quantum sibi prædæ & thesauri foret per hunc decessurum, quamdiu apud se Captivus viveret: nam præterquam quòd Moschos armavit contra Livoniam, iam dum inter Suecos degit, Quarciensis militibus, (qui desperatis Poloniæ rebus, cum KONIECPOLSCIO Vexillifero Regni, in partem Sueticam transierant) communicato consilio cum nonnullis Proceribus, reditum ad Re-

gem

Anno
1656.
Corvino
Sueciæ
Regi tra-
ditus.

gem Pol: perſuaſit. Ibidem ut Sueco grataretur, ad porrigendum CAROLO ſupplicem libellum, exules Patriâq; extorres Lithuanos & Ruthenos permovit. Suecus verbotenus iuvit, bonis ſpoliatæ Genti, ſolatium duntaxat præbuit: *quâprimùm verò pacatâ Poloniâ, pro recuperandis Lithuania, Ruſſiâq; Provincijs, omnes ſuas vires contra Moſchoviam impenſurum: Smolenſcenses muros etiã in viſceribus Moſcuae ſe requiſiturum, ſcripto exulibus dato firmiter promiſit. Reſcriptum Sueticum CORVINVS M. Moſch: Principi, clàm tranſmiſit: externo ſanguine ulturus Patriæ Noſtræ clades, bellum in æſtatem proximam Suecis inſperatum conſlavit. Sueticus Legatus (dum id ipſum Moſcuæ ferociùs urget) triennio inſtar Captivi hæſit. Scilicet Suecorum ſacrilegia, Moſchi per omnia vindicârunt. Ita Superis res noſtras verſantibus: *hoſtis Lithuania alterum eiſdem premebat hoſtem, immaniùq; cladium vindicem egit, qui nil præter clades, Gentisq; uniuerſæ excidium moliebatur.**

Horum inſcius CAROLVS, fidelem CORVINI

VINI animum erga suum Principem, cumprimis carum habuit: magnitudinem verò animi scripto, super non innovandis rebus contra se, restringi voluit. Eum vicissim Regiomonti, in tutela Electoris Brandenburgici, vivere liberū permisit. Sed post lapsum surgente Polonorum fortunâ, in Sueciam ablegandus destinatur: porro è tutela Brandenburgici, quâ ratione Elbingam elici posset honestè, deliberatum. Pace partâ, cùm solenni convivio Succorum Rex Bartumfzni exciperetur, Brandenburgicus, per Reginam Sueciæ, de CORVINO sollicitatus. Re exploratâ CORVINVS, quandoquidem Suecus sibi non iure belli capto, sed intercepto promissi fidem violaret, vicissim suæ libertatis iniuit rationes. Septem in comitatum assumptis, dissimulatâ personâ & habitu, in Poloniam direxit iter. Literis (quas Brandenburgicus Legato Polonico concesserat) passus exhibitis, ubiq; elusit præsidia. Tandem ad confinia Masoviæ, (non sine graviori periculo à Masovitis, vestitum Sueticum abhorrentibus) deniq; Varfaviam,

In Sueciam destinatus elabitur

*In castra
R. per-
venit.*

18

magnis itineribus ad Regem liber evasit. *Hic in acie formanda miram præstitit operam, similibus curis jam inde ab adolescentia imbutus; hinc in belli negotijs expeditus semper ac extemporeus. Verterat interea Fortuna rotam, Superisq; res Polonas jam pœnè collapsas erigentibus, humana quoq; non deerant consilia.*

Iam Polonia Sueticam Protectionem detestata, protectores insuper Regno exactura, post Varecensem cladem Suecis illatam à STEPHANO GZARNECKI, Varfaviam cinxerat obsidione. PAVLVS SAPIEHA, primùm inter confluentem Sanum & Vistulam, Regem Sueciæ cinxerat obsidione, deinde retrocedentis in Prussiam extrema carpebat agmina. Tandem Varfaviæ Lithuanas admovit copias. Crebris assaultibus impares Sueci, pacti deditiorem, in manus CORVINI Urbem simul & Generalissimum *Wittembergium* captivum resignârunt. Obierat interea IANVSSIVS RADZIWIŁ Supremus Exercituum Dux. Lithuanorum Copiæ CASIMIRO LEONI SAPIEHA M. D. L.

Pro-

Procancellario, ac post eius præmaturum decessum, PAVLO SAPIEHA Palatino Vitebscensi adhæfere. Eius Ductu ad Brestiam & Wierchowice cum Moschis iacta belli alea: ad Sanum Suecus conclusus: deniq; Varfavia cinctâ obsidione. Post reditum ex Prussia, ut PAVLVS SAPIEHA Supremus belli Dux, CORVINVS verò iterum Campi Marschalcus diceretur, viticit authoritas Regis & Senatûs. Sic positissimulatibus privatis, communi animo consilioq; administrandâ Rempublicam susceperunt. Provinciæ non permistæ Regionibus (ne inter Collegas plura quàm cum hoste contingerent certamina) sed diversæ decretæ. Supremus Dux Polonis assistere, CORVINVS cum mille equitibus Samogitiam Provinciam, fumere iussi.

*Paulus
Sapieha
Supremus
belli Dux
declaratus.*

*In Samogitiâ
expedito*

Pultoviæ, postquàm fama velocior, Sueticum excidit præsidium, de imminentibus Suecorum copijs adfertur nuntium. Primâ velitatione GOSIEVIANI superiores, sibi ominabantur victoriam, sed Dux ex captivo Sueco edoctus, illic Sueciæ Regem, Principem Brandenburgicum,

Cum Re-
ge Succo:
confligit

omnesq; Generales, integrâ belli mole instare, casum flexit in consilium. Trecentorum Equitum manu, pernicibus equis obiectâ, reliquas cohortes arenosissimâ acie subduxit: eo consilio, ut si hostilis equitatus (equis plerumq; gravior, nec ad pugnam idoneis) se insequi destinaret, arenoso fessus itinere, peditatu destitutus, facilè profligaretur, aut sui subducerentur. Hac ratione hosti pugna simul & victoria eripitur. Suecus præsentissimum telum sibi ereptum, ultro dimisit, nam insequi desistens, iter suum Varfaviam, (quo Poloniae Rex numerosas Regni cõegit copias) direxit: dignitati namq; Urbis & opportunitati loci, id à Regibus datum est, ut de summa belli, in corde pacis decerteretur.

Iam CORVINVS ad Narviam confederat, iamq; validi ad Varfaviam increbrescebant tormentorum ictus, cum Regiæ adferuntur literæ: *hostem instare, numerosas copias & vires quæ ad manum sunt, opponi & instrui oportere, eum rebus gerendis, ardentissimè expectari, denuntiant.*

Sed

Sed quia præposterum suum adventum, aut hosti suam manum, post cladem Sociorum, imparem numero, post Victoriam, inanem fore conijciebat, regredi Varfaviam neglexit. Seu fortè dolor, in præfens civiliter habitus, memoriâ valebat.

Postquàm ad Varfaviam, bello minùs prospere decertatum est, consilia Lublini expedita, quâ ratione Sueticis armis obviam iretur. CORVINVS huc adscitus, Suecos per Poloniam urgendos, Brandenburgicum belli eius socium, ad tuenda propria avertendum, si CZARNECIANVS miles cum Tartaris, in Marchiam Brandenburgicam excurreret: Prussiam verò Ducalem non meruisse, cur diriperetur, nec exasperandam bello: Magnum Moschoviæ Principē, Daniæ Regem, in unionem armorum invitandos censuit.

Moschoviticæ res CORVINO commissæ, Daniæ conficiendæ cæteris demandatæ. Cæterùm saluberrima remedia, Polonis in vulnus abiecerunt: nam à privatis, opibus suis circa confinia

31. Julij
1656.
Post cladem con-
siliam.

finia Marchiæ metuentibus, (Cancellario præfertim Regni) everfa. In Pruffiam Brandenburgico fubiectam cum Lithuanis irrumperere, sociosq; belli Tartaros fecum ducere iuffus CORVINVS, complures Regni cohortes eò pertraxit: Pro Lithuanicis Brestiæ PAVLVM SAPIEHA convenit; humaniterq; exceptus, auxiliares inde accepit copias.

*Vincen-
tius Cor-
vinus ad
Proftki
de Bran-
denbur-
gico Vi-
tor. 4.
Oftob.
1656.*

Dum pariter Lithuani ac Tartari, CORVINVS & *Zupankazyaga*, in Borufforum conſpirant cladē, cædib9 & incendijs emenſi Ducalem Pruffiam, ad Proftki (ubi Brandenburgicus per Legatos, numerofas oppoſuit copias) pervenēre. Primò intra vallum, præſidio limoſi fluminis ſecuri hoſtes, ſefe continebant: territi deinde, fugam parant: accenſi aviditate certaminis Lithuani, Tartari prædæ, flumen quoq; & valium ſuperârunt: nec aliâ re quàm velocitate tuentes ſe hoſtes cædunt, tantâ prædæ & ſanguinis ſatietate, ut è cæde ſuperſtites, poſtero die in proxima ſylva ſuperſeſſe paſſus ſit CORVINVS, cladis & ſuæ Virtutis nuntios.

Castris

Castris direptis, & captivorum custodiâ su-
 ismet demandatâ, in hostilem agrum victores
 effunduntur, debellatum esse rati, si quàm pluri-
 mi in illo pavore cæsi aut capti forent. Me-
 tus apud omnes valuit, ne Oppida deditionem
 recusarent, dedita incenderentur. Tandem ipsa
 prædæ sangvinisq; satietas, Tartaros placabi-
 les effecit. primùm impetu acres, cunctatione
 languere, & in perfidiam mutari cæperunt, de-
 niq; prædâ graves, Prussiâ excessere. Postea-
 quàm Lithuanicæ quoq; Copiæ retroiissent
 iam impar viribus CORVINVS, impari confi-
 ctu, ad Filipoviam præmisso, in Samogitiam con-
 cessit. Iam Samogitæ servitutis impatientes,
 quàmvis nulla subsidia pro tunc adderent ani-
 mos, Siculas vespertas celebrârunt. Velut è
 condicto, uno eodemq; die diversissimis locis,
 bacchantes adhuc Succi cædebantur, tantâ stra-
 ge post edita ut residui cum facilè deleri possent,
 à Victorib9 Rigam regredi cogerentur, mox
 à Moschis obsidendi. In ipso limine Samogi-
 tiæ, nova virtutis bellicæ oblata occasio, cum
 Magnus

*Cōstia
 ad Fili-
 poviam.
 21. Octob.
 1656.*

Magnus de la Gardie recentissimè Moschoviticâ solutus obsidione, Birzensibus mitteret succursum. ZERONSCIVS magnis itineribus ad Radziwiliszki affectus hostem, profligavit.

*Cōflictus
ad Radziwiliszki
12. Nov.
1656.*

In Samogitia mirum dictu, quantâ celeritate florentissimum decem millium exercitum, suo Nomini omni fortunâ fidem conscripsit: & quod magis mirère, publico ærario pro tunc nullo, privatum patrimonium in fidem publicam erogavit. Omnium primùm, iniit cum Nobilitate rationes defensionis: Provinciæ arma & rectum ordinem providit, quod solum illis partibus defuit, cùm virtutis haud pœniteret. mansitq; media inter Moschorum, Suecorum, Pruthenorum arma, invincibilis. Vna eademq; hyems, conscribendo militi, & expeditioni bellicæ fuit. Birze, insigne Principum RADIVILIORVM fortalitium, à Suecis interceptum, obtinebatur. Vt ponerent arma, armamentarium, fortalitium apprimè munitum ac opportunum resignarent, valuit apud hostes VINCENTII Victoria.

*Birze re
operat.*

Magnus

Magnus Moschoviæ Princeps, postquam sibi minùs ex voto Rigensem solvisset obsidionem, splendidam ad CORVINVM GOSIEWSKI, per Artemium Serbeiewicz tunc Dapiferum & Colonnellum suum, expedit legationem. quâ se eius persuasione & consilio, ex hoste, Polonia Regi amicũ, Suecis ex amico hostem professum, velle communibus armis Suecos urgere in Livonia, memorabat. Constare sibi insuper, equè auri ac armorum apud Lithuanos ad præsens inopiam; quam subleuare nitrato pulvere, armis, tormentis, & pecuniâ promittebat. De ulterioribus belli rationibus, se dedisse plenipotentiaris Athanasio Nasczokin suo per Livoniam Gubernatori, cum quo communia esse arma, & consilia oportere, suadebat.

Legatio
M.
Mosch:
Principis ad
Gosiewi-
um.

CORVINVS ut bello inter Moschos & Suecos, suâ operâ excitato lætatus erat, ita utrius gentis mallet esse Victoriã; quem à Balthico mari vicinum, imminere Lithuanis expediret, incertis adhuc Patriæ suæ viribus, fluctuabat animo. Moschorum dubia pax, nisi hanc peregrinum bellum sancivisset: sed posteaquã Derpatum,

patum, Dineburgum, Kokenhauzum, iam Moschorum iuris erat; Danorum Rex terrâ mariq; Suecis bellum indixit; Moschorum Magnus Princeps, aurum & arma suppeditare in commune bellum promisit; ex Polonia quoq; faciliùs Sueci, quam Moschi, belli artibus exigendi videbantur; ad fortunam Moschorum, Poloniæ Regno peropportunam, inclinavit. Iamq; Plenipotentiarijs ab Aula instructus, æquè honorificam legationem ad M. Mosch: Principem per ZERONSCIVM instruxit. cuius ætate & personæ dignitate observatâ, verè de pace agi, Moschi sibi persuaserunt. Legatio honorificè Wiazmæ audita, promissa confirmata quidem, sed fato præpedita. Ipse C O R V I N V S ac *Naszokinus* ad Kokenhauzum convenère, posthâc ultteriores belli rationes, per internuntios collaturi.

CAPVT



C A P V T III.

27

Bellum Moschoviticum recrudescit, & adversus Con-
flictus in campis Vercensibus.

Anno
1637. &

ANnus hic magnis nominibus, minimè favo-
 rabilem sese exhibuit: nam Daniæ Rex, quã-
 vis emptâ pace, iterum per Suecos circūventus,
 & Kopenhagæ cinctus obsidione, opulentissima-
 rum Provinciâ iacturâ redemit libertatem.
 Dux Curlandiæ *IACOBVS*, neutralitati præfi-
 dens, oppressus, in Sueticum carcerem dedu-
 ctus est. *Rakotzius* suum interitum immediatè
 numerabit. Tot inter heròes *CORVINVS*
GOSIEWSKI, huic anno suum carcerem ac-
 ceptum referet.

Ad initium anni Curlandiæ Duce, Nittaviæ
 convento, reliquum hyemis ac ver, militi refi-
 ciendo impensum. Incunte Iunio magna no-
 mina in sua Patria *NICOLAVM PRAZMO-*
WSKI, Regni, *CHRISTOPHORVM PAC-*
M. D. L. Cancellarios; *CYPRIANVM BRZO-*
Dz
STO-

*Gosiewi-
us mouet
in Prus-
siam.*

STOWSKI M. D. L. Referendarium, à Rege delegatos, Kieydanis excepit. Tantis hospitibus non verba sed rem monstrare parabat. Vbi iam bello gerendo matura adolevit æstas, provisâ ab averfa Livonia Samogitis securitate, motus è stativis ultra Chronum in Prussiam exercitus, pontem ad Srzednik superavit. Omnium primùm ad ripas Chroni, tanquam eo die cum hoste decernendum esset, miles in aciem productus instruitur: in ordines dispositus, perpetuò eidem ordini in repentinis casibus attendere iussus: in alas descriptæ cohortes, certo ordine, una antecedere peditum, altera claudere agmen, alternatim edoctæ. Equitatus veterum Polonorum induit disciplinam, Artiglieria exoticâ arte instructa: eius currus, equi, requisita, exquisitissimè provisâ: Officiales adesse ordinibus iussi: militi seu movenda, seu locanda essent castra, silentium indictum. Sociorum villæ ne diriperentur, per divisionem in Cohortes, & præscriptum Christiano more, provisum. Veterum Imperatorum bellicas artes imitatus, cum

cùm Lithuanam militiam, belli gloriâ nemini secundam, militari disciplinâ excoluit.

Bellum decretorium gerere animus erat; ad Wirboſoviam belli sedes destinata: castra bel-
 lorum casibus obnoxia, munita. Quò faciliùs *Cruenti belli ostē-
 tatione pacem e-
 vincit.*
 hostis ad pugnam elici posset, lixæ & calones
 (nam hâc ratione integritati exercitûs provi-
 debatur, & si illi interiissent, exiguum damnum;
 si integri ingens militiæ impedimentum) sub si-
 gna descripti, in Prussiam prædabundi dimissi.
 Hi cele ritate, cædibus, & incendijs Regionem
 pervagati, intra triduum Regiomonti ostenta-
 tis incendijs, prædâ onusti revertantur. Cru-
 enti belli ostentatione, fracta Borussorum per-
 tinacia est: ut ferri agiq; res suas viderunt, Le-
 gati Principis Brandenburgici, simul Baro *de
 la Isola* Cæsareus mediator, in castra GOSIE-
 VIANA delati, quàmvis ob Suecorum metum
 armistitium ferre se iactitâssent, pacem attulêre:
 quam postea Brandenburgicus cum CORVINO
 Vilaviæ congressi, dicto, scriptis, approbârunt,
 cò lætioribus animis, quia pacem prudentiâ fir-
 mârunt,

*Legati-
ones.*

mârunt, quàm si bellum per acies confecissent, Legationes, Cæsarea, Moschovitica, Brâdenburgica, auditæ & expeditæ. Certè magnificū id erat CORVINO, tot Gentium Legatos, suam pacem amicitiamq; expetentium, venisse.

*Rakotzi-
us visio.*

In Polonia crescentibus iam Provincijs, & latiùs Regis contra Suecos patefcente imperio, *Georgius Rakotzi* Transylvaniae Princeps, inductus Suecorum persuasione, per se adortus est Rempub: (quæ ei liberis suffragijs, post sera fata Regnantis, ultrò offerebatur) suæ ditionis vi facere. Iamq; Cracoviæ, Varsaviæ, Brestiæ imposuerat præsidia: mox à socijs belli desertus, ipse Cracoviam & Varsaviam deseruit: Brestiam, MICHAELI PRINCIPI RADZIWIŁ coactus restituit. demùm per SAPIEHANOS & CZARNECCIANOS undiq; se profligante fortunâ, apud Polonos emptâ pace, ipse ægrè elapsus, suas copias Tartaris in prædam reliquit.

Pace partâ in Prussia, quòd alterum latus Samogitiæ ab adversa Livonia periclitaretur, CORVINVS magnis itineribus, prætergressus Samo-

Samogitiam, præter spem Livoniæ offensivum bellū intulit: atq; ad ripas Dunæ, ex adverso Kircholmi confedit. Kircholmum, omnium primum, occupatum, resectum. Interea dum in cohortes divisa navigia (ab *Athanasio Naszokin* iam ante clam destinata, nunc secundo flumine Kokenhauzo demissa) per vastum flumen transportant exercitum, propugnaculum Rigense irritum conatu attentatum: in penitiori Livonia, Volmiria deditio, Ronenburgum vi capitur. Rigam Moschorum armis attritam, tolerandæq; longæ expeditioni imparem, obsidere totis viribus erat animus, sed cū pestilens lues in castris grassaretur, utendum recenti terrore ratus, ad occupandam Livoniam metum hostiū intendit. Illuc pergit non infesto in agros exercitu, ne spem deditis auferret, neq; remissâ curâ, gnarus facilem mutationibus gentem. Audacibus cæptis præter omnium expectationem, affuit fortuna. Signis collatis in media Livonia Colonello *Thot* superior fuit, & quidquid Rigam inter & Parnaviam bellicosum iacet,

Gosevius bellū movet in Livoniam.

cet, succubuit eius virtuti. Deditis nil detractum, quò promptius obsequium integri retinerent. Venda caput olim Provinciæ, Armet, Rumbork, Helmeth, Felin, Treydan, Oberpal, Sasel, Lode, compluraq; alia castella capta; Revaliam excursions attigerunt; Parnavia cincta obsidione. Hæc valido munita præsidio, altiores gerebat animos; crebris equitum simul & peditum excursionibus, non tam pro libertate quàm pro Succorum dominio decertabat. Cumq; aliquando prævalidi numero ferociùs Sueci excurrissent, MICHAEL PAC irritato prælio sponte refugus, festinationem sequentium hostium elicit; iamq; longiùs à mænibus arte protractos, tantâ strage retrò compulit, ut hostium fugientium turbæ permixti nonnulli Lithuanorum, intra oppidum penetrârint. Cæteri intra portam excitato ab hoste incendio, victores mænibus exclusi.

Parnaviam obsidet.

Athanasius Nasczokin huius belli focius, iisdem diebus Mariæburgum Livonicum aggressus, apertâ vi capit. Creberrimas excursions Suecicas,

ticas, dum ad Parnaviam exagitat, assultumq;
molitur CORVINVS, crebrius Regiæ adferun-
tur literæ, quibus ad congressum Procerum Var-
savianam pro 2. Febr: indictū ardentem evocabatur.
tantumq; eius fuit desiderium, ut ob eius absentiam,
ad 16. Febr: differretur indictio. Magnitudo
rerum gestarum effecit, ut triumphanti similis
Varsavianam ingressus, rectam ad osculum Regalis
dextræ proficisceretur.

Anno
1658.

Varsavianam
evocatur.

Varsaviae commorante Duce, potestas belli
Livonici penes ZERONSCIVM erat; qui mox
mille equitum excursionem Sucticam profliga-
vit; & vere imminente, (cum in paludosam il-
lam regionem, æstivoq; tempore nusquam per-
viam, non nisi hyems iter aperiat.) Oberpalianam
expugnatam, in Lithuaniam, Victorem reduxit E-
xercitum.

Varsavianam redux CORVINVS, maturam æsta-
te, iterum in Livoniam, ad solvendam Wolmi-
riæ obsidionem, victrices nuper ibidem Copias
movit, cum Georgius Dolgoruki Moschorum Ge-
neralis, moram Legatorum à Rege Vilnam de-

Bellum
Moscho-
viticum
post tri-
ennium re-
crudescit
Anno

E

stinato-

1655.

stinatorum, graviter ferens, conceptum im-
 miti pectore furorem, in apertum bellum pro-
 trusit: Vilnâq; moto Exercitu, nec Caunæ diu
 moratus, demùm Viliæ ponte superimposito,
 infestis armis Ducatum Samogitiæ ingressus, so-
 lo omnia æquabat, nil post se præter busta &
 funera, latissimamq; vastitatem relinquens: do-
 nec repentino fatalis sibi belli nuntio, primùm
 excitus CORVINVS, versâ deinde fronte, ma-
 gnâ celeritate advolat Kieydanos. Hîc cæsis
 Moschis, ubi iam cum audacia crevisse hosti ne-
 gligentiam, ac effusos passim vagari perspexisset,
 decem cohortes alarias, ad consecrandos extra
 castra prædatores, emisit. Secuta consilium
 Ducis, militum Martia industria: divisiq; trifa-
 riam, qui dextrum iter petiverant, recens rever-
 sos, prædâq; opulenta onustos quingentos ho-
 stium, desperatâ magis, quàm forti defensione
 frustra renitentes, circumvenère. Trecenti
 alibi; diversis in locis complures obuij, excisi
 aut intercepti: quinq; ferè millium iacturâ per-
 solverunt Moschi suas per Samogitiam excursi-
 ones

*Moschi
 in Samo-
 gitia ex-
 cisi.*

ones Caunæ viginti millium exercitu potens,
 degebat *Dotgorukius* : *Michâel Wolynski* suus
 Collega, ab aduersa amnis parte, è Samogitia
 redux, castris decem millium positis, excubabat.
 Vsurus in suam fortunam cladibus Moschorum
 ZERONSCIVS, castra *Wolynscij* fortiter
 æquè ac generosè aggreditur. Hîc fracti Mo-
 schi, cùm nullo ordine, ad pontem vi compulsî,
 Lithuanorum se manibus eripere, amnemq; pro-
 miscuè tranare contendunt, pars Missilibus con-
 fecta, pars fluminis vorticibus absorpta; re-
 liqui, quibus fatum fortuna protraxerat, ipsâ
 fugientium multitudine, pontisq; fracti ruinâ
 oppressi interiêre. Potiti victoriâ Lithuani,
 dum reliquos Moschos fato suorum superstites
 oppugnant, numerosior hostilis equitatus (pon-
 te unâ ferè horâ reparato) gravis esse Lithua-
 nis cæpit. Adfuit suis CORVINVS: Moschos
 per cædes audaciùs & longiùs ad Lopic pro-
 gressos, iterum in fugam còëgit.

Demptâ ferociâ, redijt Vilnam *Dotgorukius*.
 castra ad utramq; amnis ripam egregiè munit.

E2

Tan-

*Preliū
 Caunen-
 sc.*

*Cōgressus
 Legato-
 rum.*

Tandem Legati utriusq; Gentis, in campis Vilnensibus, pro pace sancienda, utriq; populo felici, convenêre. Generalissimi Lithuanie, si ve quòd sexennali bello confecti essent, & pacis partæ gloriã sibi deberi censerent, si ve quòd Vilnam Regum & Legum Patriam oppressam, cuperent per se restitui, Legatorum munus obituri, Vilnam pervenêre: & quidem Palatinus Vilnensis, suis copijs præfidens, & victoriam & pacem sibi pollicebatur: COR VINVS cum præpotente populo, eã potissimùm tempestate, quã Suetico bello Polonicæ vires distrahebantur, tutiora pacis media incertæ victoriæ præferenda suadebat. Placuit deinde colloquio tempus & locum destinare: prævio itaq; securitatis iuramento, non nisi trecentorum equitum numero ab utraq; Gente, sub ipsa Urbis mœnia celebrandum edixit. Relicto deinde exercitu in Samogitia, mille ducentos equites, fide magis publicã securus, pro sui præsidio, Werkos adduxit. His copijs in hostilẽ terrã, in Moschorum potestatem (quibus plerùmq; ex
fortu-

fortuna pendet fides) in fidem inexpertam, pacis conficiendæ desiderio, sese commisit; *avida quippe est periculi virtus; & quò tendat, non quid passura sit cogitat: siquidem & quod passura est, Seneca: gloria pars est.*

Legati Moschovitici, opibus, potentiâ, rerû successu tumidi, primâ cæterisq; in posterum sessionibus intractabiles extiterunt. Alterâ parte Viliæ, summotis pari spatio armatis, CORVINVS bellum moderatione animi compositurus, sub tentorio cum Moschis expetijt, instituitq; colloquium. Verum ut de mandatis à Rege, de statu præfenti, deq; ablatorum restitutione, agi cæptum est; animi exasperati sunt. Intractabiles Moschos expertus, nihilominus præstolabatur Commissionis eventum. Deniq; cum iam nulla spes pacis superesset; *Dolgorukio* verò ab utrinq; Lithuanicis copijs circumfuso, necessitas armorum impendere manifestè videretur, Generalissimi Lithuanicæ sibi invicem selaturos opem, quantum per flumen liceret, promittunt. Sed prudens Nostrorum consilium,
hostis

hostis celeritate prævenit.

Nam posteaquàm ei receptus nullus; nec uspiam sibi, hinc & inde circumfuso, nisi in certamine spem evadendi videret, pertinaciter de integro capessit bellum; & vigesimâ primâ Octobris numerosas copias, silenti agmine, in campos Vercenses, noctu produxit. Hostem ubi adesse, ex stationibus attulère nuntij, ad arma conclamatum est: nec mora; signo dato, compositi ordinatiq; in aciem ruunt GOSIEVIANI. Quamvis enim paucitas parùm tuta esset, nihilominùs dum hostis cogeret, suorum probatæ fortitudini Dux confusus, armis decernendum, habendamq; eam fortunam, quam is dies dedisset, decrevit. *In loco necessitas, spes in Virtute, salus in victoria reposita.* Dextrum cornu ZERONSCIO commissum, levum LIPNICCIO datum: eques primam levioris armaturæ conferit cum hoste manus, mox ubi maior vis hostium ingruit; quadraginta equites catafracti in confertissimos hostes, tanto ardore sunt inveci, ut duodecim signa Moschorum,

Gosievianus ad Werkum cum Moschis configit 21. Octob.

Livius

rum, in turpem coniecerint fugam. L I -
 PNIC CIV S eâdem usus fortitudine & fortu-
 nâ, Moschorum legionem acie dimovit. BO-
 GVSLAVS RVDOMINA, ALEXAN-
 DER MIRZYNSKI, cæteriq; suis co-
 hortibus, singuli tantâ fortitudine, quod ob-
 vium & validû erat, hinc inde perfringunt, ut
 numerosissimis legionibus depulsis, in quinq;
 horas protraxerint certamen. Ipse Dux, illos
 fronte hilari, & animabat, & ad certamen medi-
 os inter hostes præibat; hos à certamine redu-
 ces, pro re fortiter gesta, gratus excipiebat;
 ignavos verbis castigabat: spem victoriæ suo
 exemplo, hostium ignaviâ, ostentabat. Non a-
 liud sibi reliquum, quàm tenere libertatem, aut
 mori ante servitutem eligerent. Tandem *Dofgo-*
rukus duas novas Prætorianas legiones pedi-
 tum, ultimû belli subsidium, in aciem substituit,
 postquàm omnes aliæ sunt submotæ. Fessi Li-
 thuani, novâq; imminente acie nonnulli con-
 sternati, in fugam sese coniecerunt, cæteri e-
 xemplum secuti. Ibi CORVINVS dum
 obcui-

obequitat suorum turmas, ut aut pudore, aut periculo suo, fugam silteret, à suis met deseritur: tandem nequicquam consternatorum permotis animis, ultimus equo effundit habenas. Sed iam circumfusus undiq; hostium alis, opprimitur, capiturq;. Vbi cognitus est, præ inopinato gaudio, & præ memoria pristinae eius fortunæ, pars ad *Dołgorukium* accurrunt, fufum Lithuanorum exercitum, GOSIEVIVM captum adduci nuntiant; pars captivum, lætum Moschoviæ spectaculum, exhibent.

Post certamen 6. horarum capitur.

Postquàm teneri captivum GOSIEVIVM rumor attulit, id adeò cunctos hostes gestire fecit, ut *Dołgorukius* insolitâ contentus prædâ, signum receptui cani iusserit: captum adduci in castra cum esset nuntiatum, velut ad spectaculum triumphii, *Odoienscius*, *Szeremethius*, *Wolkinscius*, *Atmazius*, Legati, obvij *Dołgorukio*, mutuis osculis sibi gratulati sunt victoriam. Stetere in armis Prætorianæ cohortes campo qui præiacet: ter exoneratæ in castello, campestres in castris machinæ: peditatus clâm ex acie redox (quò

(quò numerosior ad sarcinas ostentaretur) è vallo triplici sono, publicè victori applaudebat. Præcedebant vecti equis notabiliores captivi. ponè & Ipse proprio adhuc insidens Turcico equo, iam incermis sequebatur Dux, demùm victor assistentibus Legatis, turbâq; militari circumfusus, castra ingreditur. E Prætoriano Ducali tentorio (ubi signa imperialia deponi, unde leges militi, pœnæ & præmia decerni, edicta promulgari est moris) prodijt Sacerdos, humeris sacrum vestitum, manu Iconem Tutelarem belli præferens; hanc victor equo delapsus, supplex veneratur: secuta in tentorio insulsa Hymni decantatio. Non defuit officio Palatin9 Vilmensis: nam speculatorias primùm præmisit cohortes, deinde Ipsemet accurrit: sed hostis præmunitis castris defensivè se gerens, elici prævallo non potuit; offensivè autem ad Werki urgens celeritatem conflictûs.

*Victoris
& Victi
ingressus
in castra.*

Recensiti primùm captivi; exacta nox ad cōmunem focum: inquisitio habita: deducti in Urbem. Ipse **CORVINVS** firmissimo mille

F

Præ-

Prætorianorum præsidio, quaquaversûs cinctus, intra castra Vnicus detentus: nonnisi altero die quaternos è captivis suo obsequio assuetos, obtinuit. Vfus equi, armorum, calami insuper ademptus: metuebat nimirum hostis, *ne in ipsis vinculis aliquid virtutis, animus libertati assuetus attentaret.* Captus fatali malo Lithuanix & suorum CORVINORVM detrimento, quâdo mox ab eius interitu, publicæ spes magnâ ex parte collapsæ sunt.

GOSIEVIANI Exercitûs decus & imperium militare SAMVELI KOMOROWSKI delatum; mox eo, multis rebus cõtra Succos & Moschos gestis, vitâ functo; singulari cum gloria atq; authoritate MICHAEL PAC idem obtinet.

Seu contentus suâ præda Moschus, seu quod in alieno solo nescijs iniquo, victoriam & hostem prosequi diffideret, post octiduum, iter Moscuam versûs indixit: mota incensaq; castra vigesimâ nonâ Octobris. Præibat cis mænia Vilmæ, numerosissimus equitatus, nullo servato ordine:

*Dołgoru
kius Mo-
scuam
mouet.*

ordine: non miles signis, non tribuni præstò
 aderant, sed quò quisq; & quàm longè à signis
 vellet, palabundus excurrerebat. Longè alia mo-
 rum via peditatui. quippe servatis ordinibus
 sese extendebant agmina. Ex his mille Præ-
 toriani, perpetuis excubijs destinati, vehiculo
 circumfusi, ad prima castra **CORVINVM** (qui
 non minore animo quàm necessitate temporum
 longinquum ingressus iter) deducebant. Iam
 castra in proximo nuntiabantur, cùm inassueto
 clamore territi captivi, suspicabantur loco a-
 liquo opportuno, Lithuanorum contra hostem
 ausus; sed à Moschis edocti, eam esse normam
 metandorum castrorum, ut unusquisq; miles, da-
 tâ suis mancipijs & aurigis tesserâ vocali, tam-
 diu inclamet, donec ij vicissim eandem tesseram
 inclamando, extra castra reperiantur. Magnū
 chaos implebat circumiacentes sylvas, cum mo-
 re gentis triplicibus locata castris, multitudo
 illa vociferaretur. Hūc adfuère 1200. pedi-
 tes Moschi, re fortiter gestâ, contra alam Li-
 thuanicam ad Miedniki.

*Ratio
 metan-
 dorum
 castrorū
 apud Mo-
 schos.*

Prætorianorum præsidio, quaquaversus cinctus, intra castra Vnicus detentus: nonnisi altero die quaternos è captivis suo obsequio assuetos, obtinuit. Vfus equi, armorum, calami insuper ademptus: metuebat nimirum hostis, *ne in ipsis vinculis aliquid virtutis, animus libertati assuetus attentaret.* Captus fatali malo Lithuanix & suorum CORVINORVM detrimento, quando mox ab eius interitu, publicæ spes magnâ ex parte collapsæ sunt.

GOSIEVIANI Exercitûs decus & imperium militare SAMVELI KOMOROWSKI delatum; mox eo, multis rebus cõtra Succos & Moschos gestis, vitâ functo; singulari cum gloria atq; authoritate MICHAEL PAC idem obtinet.

*Dolgoru
kius Mo-
scuam
mouet.*

Seu contentus suâ præda Moschus, seu quod in alieno solo nescijs iniquo, victoriam & hostem prosequi diffideret, post octiduum, iter Moscuam versus indixit: mota incensaq; castra vigesimâ nonâ Octobris. Præibat cis mænia Vilmæ, numerosissimus equitatus, nullo servato ordine:

ordine; non miles signis, non tribuni præstò
 aderant, sed quò quisq; & quàm longè à signis
 vellet, palabundus excurrebat. Longè alia mo-
 rum via peditatui. quippe servatis ordinibus
 sese extendebant agmina. Ex his mille Præ-
 toriani, perpetuis excubijs destinati, vehiculo
 circumfusi, ad prima castra **CORVINVM** (qui
 non minore animo quàm necessitate temporum
 longinqvum ingressus iter) deducebant. Iam
 castra in proximo nuntiabantur, cùm inassueto
 clamore territi captivi, suspicabantur loco a-
 liquo opportuno, Lithuanorum contra hostem
 ausus; sed à Moschis edocti, eam esse normam
 metandorum castrorum, ut unusquisq; miles, da-
 tâ suis mancipijs & aurigis tesserâ vocali, tam-
 diu inclamet, donec ij vicissim eandem tesseram
 inclamando, extra castra reperiantur. Magnū
 chaos implebat circumiacentes sylvas, cum mo-
 re gentis triplicibus locata castris, multitudo
 illa vociferaretur. Hûc adfuère 1200. pedi-
 tes Moschi, re fortiter gestâ, contra alam Li-
 thuanicam ad Miedniki.

*Ratio
 metan-
 dorum
 castrorū
 apud Mo-
 schos.*

*Trepida
tio Mo-
schorum.*

Septimis castris ad Radoszkowice perventū, cum adfertur SAPIEHANOS non longè abesse, adoriendiq; hostem captare momenta. Hic miles signis adstare, arma in promptu, expeditaq; habere iussus; sed quòd pleriq; prædandi causâ essent dilapsi, præsentés quoq; in alieno agro animis fracti, consternati incedebant. Noctu Tribuni ad Prætorium adesse iussi, imperium accepere, (quod nomine Magni Principis expediri solet) ut si compareret hostis, eques inter peditatum se reciperet, GO-SIEVIUM quàm arctissimè quidem teneret; at si firmior vis ingrueret, eum æquè ac alios captivos trucidaret: deniq; per sylvas olim impervias penetrare iussi, acie congregari prohibiti. Nec vanus erat Moschorū metus: quippe ALEXANDER POLVBINSKI Notarius Cæpestris cum duobus millibus Lithuanorum complures Moschos, licentiosius palantes, villasq; exurentes, diversis locis oppresserat, aggressurū Moschorum castra, sicubi rei ferendæ fortuna sese obijceret. Sed nondum fata Lithuaniae propitios

Potubinsius Moschos incipit prædatores.

pitios Nobis promebant successus: nam hostis,
 improbo labore superatis primùm paludibus,
 mox difficillimo Smorodinâ, tandem Berezynâ, *Dołgoru*
 in campis Borissoviensibus extra omne periculū *ki Boris-*
 confedit. Hic datâ militi per triduum quiete, *sovie.*
 castigatisq; ijs omnibus, qui signa in via deseru-
 erant, multò maiori quàm ante disordine, metu
 vacua Szkłoviam promotâ castra. Szkłovia *Szkło-*
 septem otio impensî dies, reficiendo militi lon- *vie.*
 go viarum tractu fesso, seu reprimendis Lithua-
 nis (qui non tam ullâ spe, quàm impetu fortuito *Lithua-*
 tracti, Vitebscum versùs excurrerant) sed eadē *niprofli-*
 temeritate quâ processum est in Russiam, à Ge- *gati ad*
 nerali Moschoviæ *Sukino*, Albâ Russiâ eiekti: ca- *Biesieko-*
 ptis signis, Smolenscum (quò & *Dołgorukius* iam *wicze.*
 penetraverat) zdâ Decembris *Sukinus* victor in-
 gressus.

Smolensci totus Moschorum exercitus, mæ- *Smolen-*
 nibus inclusus versabatur. Nobilitas Smolen- *sci,*
 sciana iam edomita, victorum edocta mores, ad
 ferviles operas à Moschis damnata, duriùs tra-
 ctabatur: murorū insuper altitudo, crassities, am-
 bitus,

bitus, excubiæ, securitatem undiq; præstabant. Lautius itaq; & liberiùs *Dolgorukius* indulgebat quieti, gloriosam suam ostentans Prædam: GOSIEVIVM conveniri à Nobilitate & civibus, captivos insuper omnes intra Oppidum pervagari permisit. Dum liberè parvagantur, quidam vigilum suorum, primùm securitate, tum viâ per muros exploratâ, noctu aufugit. Ea res tantam *Dolgorukio* excitavit bilem, ut ob contemptum *Smolenscianæ* munitiois, & suæ erga victos benevolentiaë abusum, præter GOSIEVIVM omnes reliquos in publicum carcerem detrudi iusserit. Descripti, interq; latrones ac fures nocturnos conclusi, explebant in illis angustijs numerum personarum centum quinquaginta sex. GOSIEVIVS acerbissimè ferens suorum Concivium commilitonumq; calamitatem, non id magis *Polonæ Gentis Captivis*, quàm *Victori fore erubescendum*, *Dolgorukio* proponebat: si inter vexationes, contumelias, fatorem enecarentur iure belli capti; quorû fors humana, equè *Nostris ac Moschorû* dominatur rebus. Sed nihil apud hominem recentibus tumidû successibus effectû est.

*Captivus
in publi-
cum car-
cerem de-
trusi.*

CAPVT IV.

CORVINVS GOSIEWSKI *Victus Moscuam de Anno*
ducitur, Moschorum ad Konotopum Glades. 1659.

IAm fama Vercensis victoriæ, ad Magnum Mo-
 schoviæ Principem pervenerat; infessis enim
 hæcenus vijs, cursoribus oppressis, plurimis mi-
 litum anteire Exercitum cupientibus, captis,
 occisis, submersis, suspensa animo Moscuam,
 de eventu rerum ad Vilnam gestarum, hucusq;
 tenebatur. Internuntius oblatâ Principis gra-
 tiâ *Dolgorukio*, attulit mandatum: *ut quàmprimùm*
Moscuam cum Prætorio milite festinaret: equita-
tum in hyberna dimitteret. Simul præmium vi-
ctoriosi obsequij, quingentos aureos dono missos à Prin-
cipe deprompsit, villamq; ducentorum iugerum attri-
buit. Caterùm gratiam, honores, fauores Princi-
pis, præsentì præstandos Moscuæ, pollicitus. Stan-
do primùm, mox capite terram usq; attingen-
do, huiusmodi mandata Principis excipere, mos
est. Dolgorukius usu receptam præstitit quidẽ
 submis-

Inter-
nuntius
M. Prim-
cipis.

submissionem: sed cum multò maiora sibi deberi, spe præconcepisset, adit CORVINVM: pollicetur se Ei Patris loco Moscuæ futurum, libertatem acceleraturum, dummodò is coram Proceribus, deinde coram Principe sistendus, fateretur decem millia Suorum ad Verki fuisse profligata. Hæc cùm magni spiritûs Vir non pateretur, scilicet Sibi Suæq; Genti fabulosam irrogari cladis & ignaviæ ignominiam, publicum privatumq; è *Dolgorukio* sibi effecit hostem. Persuasit quippe ne in conspectum Magni Principis admitteretur, ut duriùs tractaretur, arctè & cõtemptim exciperetur, inq; bellorum remedia reservaretur.

Dolgorukius publicus & privato hostis Gostio efficitur.

Rebus pacatis, exercitus Smolensco reductus, velut relictâ sævitiâ ac licentiâ in hostico, incessit: nil gestum insolenter in via; nullas vidisses rapinas; ac si quæ contigissent, exactè iustitia administrata est. Digressi Smolensco, præterijmus Dorohobuz, Wiazmam, tandem Mozayscum; hîc ad arcem Ecclesiâ & miraculosâ Divi Nicolai Episcopi imagine sacram, tantiq; nomi-

Iter Mosuam.

nis ministram pervenimus. Castellum amæno *Mozay*
 colle situm, muro, turribus novem munitum,
 fluvio Moscuâ alluitur. Quotannis Magni Du-
 ces Templû hoc visitaturi, comitati aliquot milli-
 bus equitum adibant. Imago ipsa est *di velle-*
no, auro, argento, lapidibus pretiosis splendida,
 mirâ popularium colitur religione. Anno mil-
 lesimo sexcentesimo decimo, quando auspicijs
 SIGISMUNDI III Poloniarum Regis à
 STANISLAO ZOŁKIEWSKI Exerci-
 tum Duce, fatale Moschoviæ bellum immine-
 bat, Moschi post exactum tridui arctissimum
 ieiunium, hanc Imaginem secum in castra & aci-
 em, devotè simul & honorificè, deportaverunt.
 Prælio, immo magno bello, ad Kluszynum victi,
 (quandoquidem tunc non de victoria, sed de
 fortuna & imperio totius Moschovitici Regni
 decertatum est) protrusam à se, allisamq; ter-
 ræ Iconem, tanquam suas res deserentè, in præ-
 dam Polonis reliquerunt. Est enim Moschis
 etiamnum usitatum (dum quidpiam à Deo & Tu- *Cultus*
 telaribus impetrare volunt) frequens accendere *imaginû*
 lumen *apud Mo-*
schos.

lumen, inclinari poplite: si non impetrent, eandem Divi rerum suarum Tutelaris Iconem, quam paulò antè, adeò sublimi cultu, vocalibusq; supplicationibus pœne sub sidera efferebant, jam terræ allidere, aut ablegare in villam, ibiq; sine lumine & veneratione relinquere; nonnunquàm in flumen, nonnunquàm effossis oculis in angulū projicere.

Necdum in via de superando Victi CORVINI animo desperabat *Dotgorukius*. Idcirco dū in villa Kubicńko *Simeon Streszniow* Magni Ducis Avunculus, & *Michàel Dotgoruki*, gratulabundi ei occurrissent, integram noctem exegit insanā hilaritate: adhibito namq; ad cœnam (quæ in profundissimā noctem protracta est) CORVINO, inter crebras potationes vini adusti, interq; usitatos suæ genti saltus, serviliaq; Officialium exercitia, (nam eos iam in terram omnes procumbere, iam levare iubebat, suumq; fastum, magnificentiam, opes, fortitudinem, in sua Patria potentiam, deprædicabat:) nuperū iteravit postulatam. Sed metu carceris, & spe obtinen-

obtinendæ libertatis, potior fortiorq; erat, etsi Captivo, Fama.

Diem Natalem Domini ritu veteri, celebrare Moschis placuit Wiaziomæ: locus hic distat ab Vrbe octo milliaribus. Sacerdos loci, quòd integro biennio ob vini (ut aiebat) inopiam, sacra non celebrâsset, iussu *Dołgorukij*, virgis (*botagi* dicuntur) cæsus, vinoq; auctus celebravit.

Eodem die *Dołgorukius* Moscuam profectus, *Dołgorukius privatim salutatus M. Ducem.* serâ iam nocte adiit Principem: ibiq; *gratulus* gloriosam per se partam Prædam, pro cuius restitutione Polonos certò resignaturos tot Provincias, quot ipse Magnus Princeps resignandas decerneret, affirmabat; adduci nempe à se (aiebat) *Virum Regibus Vngariæ oriundum*, (habent in suis Annalibus descriptum genus & gesta huius Domûs, ex occasione ALEXANDRI CORVINI GOSIEWSKI, quem Proregis officio, rei Moschoviticæ arbitrium obtinuissè, infra dicemus) *eo Parente ortum*, qui nomine SIGISMUNDI III Imperium Moschoviticum, Proregis titulo administravit: illum Ducem, cuius Nomini, tantum potentissimi populi tribu-

tribuerint, ut Eius arbitrio pax Moschorvitica, Brandenburgica, Suetica à Rege Polonia committeretur. Iam opibus in sua Patria, tantum Eum excellere iudicabat, ut nemo Ei equiparari posset. Hunc solum copias decem millium, proprio ære contraxisse; sua quoq; prudentiâ Victricia Moschorum arma in Lithuania stitisse ac delusisse: Moschos contra Suecos armasse: Suecos è Samogitia exegisse, Livoniam occupasse memorabat. Deniq; dum suum decus Victoriâq; extollit, quantum plurimum potest, addit gloriam Victo. Tantum Virum quin Poloni avulsione suarum opum vindicaturi non essent, impossibile censebat. (constans nimirum tunc erat apud Moschos opinio, neminem Nostrorum Ducum fortius & prudentius CORVINO, Poloni Nominis rem lapsam, adversus externos hostes fuisse defensurum) ipsam carceris acerbiter Magnanimo Duce indignam, posse accelerare pacis tractatum. Hoc ni profuerit, exoluturum in carcere calamitates, quas perpeffa est olim sub eius Parente Moscua: maiorumq; manibus ab eius Patre casorum, parentaturum.

Consiliâ
Dotgoru
kij.

Nec in Vrbe Moscua ignobile erat C O R -
V I N I

VINI Nomen. Iam Fama Eius, superato Bal-
 thico mari, ultraiacentes etiam Regiones antè
 impleverat; nec minor per amplissimas Ruffiæ
 Regiones, longè illi in Moscuam prævolaverat.
 Optabant videre universi Ducem, qui tot anno-
 rum bella, Moschorum cladibus numeranda re-
 liquit posteritati. Nota iam & Magno Principi
 Moschoviæ magnitudo Eius & prudentia, cuius
 tacitâ legatione persuasus, desperatissimis re-
 bus Polonicis indulfit armistitium, Suecis indi-
 xit bellum, ipsumq; honorificis, Kieydanis,
 Wierbołowix, Varfaviæq; interpellavit legati-
 onibus. Nec tamen movit eum pristina fortu-
 na Viri cū præfenti collata, aut recordatio fæde-
 ris publicè ac privatim iuncti: sed facilè sibi à
 Proceribus persuaderi passus ea, quæ suus *Dol-*
gorukius adferebat: sancitumq; illâ nocte, ut po-
 stridiè huic magnificus, Victo informis pararetur
 ingressus.

Regressus ab Vrbe in adiacentem villam, il-
 lic postero die CORVINVM præstolabatur: sex-
 tâ Ianuarij inde pompâ publicâ ad Castellum hoc
 ordine

*Publicus
ingressus
Victoris
Mosou-
am.*

53

ordine profectus est. Inflabant dissonè tubas duodecim Moschi; ducenti Aulici Ducales splendè vestiti præcedebant: tum duodecim equi, aureis argenteisq; fellis instrati, ordine ducebantur. Hos subsequabatur victoris Ducis filius; deinceps amici affinesq;. Deniq; ipse Generalis medius inter suos Collegas, vestem auro intertextam indutus. Agmen claudebāt mille pedites ceruleo vestitu, aliiq; mille purpureo spectabiles, ab expeditione bellica reduces. Circumfusa spectantis populi multitudo viam publicam Twerensem, illūc de industria compulsam, implevit. Hāc pompā Victor Urbem & Castellum invectus, post solennem Principi datam relationem, ad osculum manūs accessit; mansitq; in Regia, eo die ad Ducalem mensam adhibendus, ibidemq; poculum è manu Principis, aliaq; munera accepturus.

*Ingressus
Victoris
Si.*

Paulò feriùs invectum CORVINVM, ante portam Kitayensem, carpento descenderet, moment. Præferebantur signa captiva octo: Hussarorum hastæ duodecim; Ipse medius inter du-

os No-

os Nobiles Moschovitas cæteris captivis præibat; quorum singuli inter duos pedestres Moschos medij, in longum protenso ordine, ab vtrinq; deducti. Ante Castellum caput detegere iussi, causantibus Moschis depictæ Divi Nicolai imagini in porta, cum honorẽ deberi. At Mendax Religio, per fastum Castello sui Principis, ab Exteris eã reverentiã exhiberi requirebat. Ingressus Urbẽ spectãte M. Principe, totãq; eius Aulã de fenestris Superioris fastigij, deductus in Cancellariam: vbi iam Generalissimus *Trubecki*, *Chytrov*, *Atmazius*, cum præstolabantur. Assurgunt primùm prædicti Proceres: tum, ex mandato Magni Principis *CARI*, & Magni Ducis *ALEXII MICHAYLOWICZ*, totius Magnæ, Minoris, *Albæq; Russiae Monarchæ*, aliorumq; multorum Regnorum Orientalium, Occidentalium, Septemtrionalium Domini, Successoris, Hæredis, Principis &c. tribunal se conscendisse professi, confederunt. Captivum Hospitem, stantem respondere placuit.

Quæsitus omnium primùm:

Quantis viribus ultimo Prælio conflixerit?

Quanta

lissimè victualium copia distributa.

*Alexius
Trube-
cki
150000
movet in
Vkrain-
am.*

Nec dictis quàm factis ferocior *Trubeccius*, iam antè conscriptum validum exercitum centū quinquaginta millium, in *Vkrainam*, *Putiwliam* versus movit. Ultrò pleriq; Nobilitate insignes, authoritatem Ducis secuturi, Colonelliq; seu maiorem gratiam præmiumq; apud Principem aucupaturi; seu bellicæ gloriæ & prædæ cupidi, magnâ alacritate sub eius signa convolabant; quasi vnusquisq; victor adducturus esset Captivos Generales. Passim iactabant, ignobiles & servituti nata mancipia, *Moscua* desides vivere: fortium virorum esse, extra patriam alieno vesci pane: palàm oppida prædæ & excidijs destinabant; nec redituros se in Patriam profitebantur, nî prius aut extremè domuissent, aut perpetuis excidijs delevisent *Vkrainensium* nomen.

In tanta ferocia, tentandi **C O R V I N I** non ommissa cura: negotium *Artemio* commissum.

*Aliud
Responsu
Gosjevij.*

Is obtento apud Eum familiari colloquio, confidentiùs inquit: *Num Fortunam Moschorū notam*

orbi

orbi, potentiam formidabilem (scilicet præter præsidarios) centum millium peditum, ducentorum millium equitum, Artiglieria vim incomparabilem, retroactis annis toties productam, producendamq; Poloni non metuant? Persuaderet **CORVINVS** Patriotis: sanguinem Christianum sistant, Victori morem gerant, de eius manu, quatenus alluit Berezyna, accipiant. In maius detrimentum Reipublicæ olim cessuram pacem, quia seriùs conclusam, quàm poterat. Ad hæc **CORVINVS** avitam magnitudinem, etiam inter angustias fortunæ retinens: Quæ nuper in Cancellaria dixerat, non elati animi, aut fastûs fuisse verba, (cùm non inscius esset præsentis Suae sortis) sed veritati consentanea. Idem se nunc censere, respondit. Adiecit insuper. Rempub: Poloniam hisce annis non tranquillo navigasse, sed iam decumanis procellis penè submersam, nunquam iniquis conditionibus acquievisse. Quamdiu stabit Nomen Polonum, quantum virium Polonis Lithuanisq; supererit, restitutionem Provinciarum bello avulsarum, & Captivorum; ni pacis profuerint media, per extrema belli discrimina attentaturos.

*Commē-
tum Mo-
schorum.*

*Carcer
Gosiewi-
anus in
Moscho-
via.*

*Excubi-
arum ra-
tio.*

Inassuetis Proceribus vera audire, ferox re-
sponsum visum est: ideo ut Principi persuade-
rent duriores Eius tractationem, (cum per se
humanus & Clemens esset Princeps) admonue-
runt: ne CORVINVS simulato Excubito-
rum habitu, profugeret noctu, excubiasq; fal-
leret: nec domi custodiendum, nec cuiquam cu-
stodiam Eius, tuto credi posse, suadent. Innu-
unt deinde nonnulli, esse locum extra muros ultra
flumen Moscuam, retrò palude circumfusum, egregie
palis septum; intus ipsam domum enormiter crasso mu-
ro elaboratam, fornicibus depressis oclusam, fenestris
vni cubitum non excedentibus, cratibusq; ferreis cras-
sis ac densis munitam. Approbantibus cunctis con-
siliis in Senatu, huc post septimum diem, loco
potius quam hominibus custodiendus deducitur.

Amoto Artemio homine civili, ac non ineru-
dito, suffectus Alexius Mesczeryn Colonellus,
homo per omnia crudus. Is sepimenta domus
circumquaq; munivit; vigiles itidem, qui diu ex-
cubarent, octo disposuit: noctu vero duplica-
tos, super columnas accensis lampadibus in a-

rea, excubare infomnes iussit. In foribus aperti cubiculi GOSIEVIANI, perpetuum incendit lumen; ipse ex opposito lectuli, ut moventem sese, intueretur noctu, excubabat magis quàm dormiebat. Adstabant vigiles duo, quos singulis ferè quadrantibus, expergefactus, accedere cum lumine ad lectulum iubebat; inspicereq; num non aufugisset, aut non avolasset Captivus. Videns namq; lectioni continuò intentum, eam de Illo præconceperat opinionem homo barbarus, quòd posset facilè arte magicâ avolare: idcirco & exiguas quasdam fissuras in testudine, cæmento obstrui quàm firmissimè iussit. Accessus externorum, æquè advenis (magis tamen his) ac Moschis, perpetuò interdictus. Excubitoribus, si quis literas aut schedulas clàm perferret, aut nova aliqua Captivis communicaret, poena suspendii, in porta eiusdem domûs, edicta. Concaptivorum numerus diminutus; dempti omnes, in vltiores amandandi Regiones: ex omni numero viginti sibi opportuniore, deligere permissus. Extra portam

tam domûs nemini unquam exire, ac ne rimari quidem licuit. Si quid emendum occurreret, id alicui ex custodibus erat demandandum. Colonello excubanti, Centurio cum septuaginta peditibus adiectus. Cæterùm ratio victûs liberaliter præscripta ex mandato Magni Principis: & si opus foret, auctio promissa. Per eosdem dies, venit Moscuam Regis Poloniæ Internuntius. Literarum quas attulit, hæc fuit summa: *Ex mandato Sacræ Regiæ Maiestatis GO-*
SIEVIUM *pro pace sancienda, Vilnam prævio utrinq; supra securitatem iuramento iuisse: eum postea contra Iura Gentium à Dołgorukio circumuentum & captum esse, Restitui mandaret Magnus Dux Legatum, cuius munus Iura Gentium sanctum esse voluerunt. Ad has Moschi ferociùs, dum adhuc Fortunam crederent sibi famulari, rescripserunt. Internuntius ne adire quidem CORVINUM* *permissus; literæ tamen Regiæ aliorumq; resignatæ, redditæ sunt.*

*Regis
Poloniæ
Internuntius.*

IOANNES CASIMIRVS D. G. Rex Pol: M.
 Dux Lithu: Ruf: Pr: Samog; Mas: Liu: Smol:
 Czer-

Czern: Nec non Succ: Got: Wand: hære-
ditarius Rex.

Perillustris, Sincerè Nobis Dilecte. Quò magis probatã Sinceritatis Vestrae in omni Reip: obsequio experti sumus dexteritatem, eò acerbius præsentem Eius acceptamus sortem. Nihilominùs cùm hæc Divinis paret edictis, (prout & Nosmet inter præsentissima naufragia Omnipotès protexit manus) huic Sinceritatis Vestrae casui poterit mederi Divina opitulatio. Quòad humana media; hæc omnia quotcũq; eliberationi Sinceritatis Vestrae inseruire videntur, cum DD. Consiliarijs non gravatim adhibemus. Inter quæ, cùm Sinceritas Vestra Tractatus pacis esse efficacissimos iudicat; Nobis quoq; idem constet; sincerè cupimus sistere sanguinis Christiani profluvium; quod vindicabile Dei iudicium requirit. Vtinam verò desiderijs Nostris, fallax fortuna, non refragetur solitã pertinaciã, sed potiùs in Christiana concordia, vires cum gloria utriusq; Gentis, adversùs communes hostes convertere velit. Domestica res Sinceritatis Vestrae, tum Consortis, Liberorumq; cura, acerbò carcere fractum non sollicitent, quandoquidem Illis non deerit in succursum Nostra

stra Patrociniatio, Omnibus item alijs Domesticis Sinceritatis Vestrae, Paternā Nostram providentiam, ob respectum Sinceritatis Vestrae obligamus, Optimam interea Sinceritati Vestrae à Deo precamur valetudinem.
 Dabantur Varfaviæ VIII Dec. MDCLVIII. Regnorum Nostrorum XI Anno.

IOANNES CASIMIRVS REX.

Perill; VINCENTIO CORVINO

G O S I E W S K I

Supremo M. D. L. Thesaurario & Campi Marschalco &c. Sincerè Nobis

Dilecto.

Cum eodem Internuntio spontè venerat ad obsequendum Hero suo vnus ex domesticis: qui non priùs admissus est, nisi præviâ inquisitione, num secretiores non adferret literas, & num aliquid clàm reconditi non apportaret. Vnicè namq; metuebat *Mitofanfcus* Supremus minister Moschoviæ (vti postea innotuit) ne pro liberatione Captivi, submitterentur magicæ artes. Itaq; probè instructus, ducentos aureos, & literas à CHRISTOPHORO PAC M. D.

L. Can-

L. Cancellario deprompsit; quibus redditis, & ipse inter Captivos, more Captivorum vixit. Ducentorum aureorum medietate suo usui reservatâ, centum aureos inter Captivos in Vrbe adhuc degentes, per manus *Pristavorum* enlargitus est: namq; mille aureis secum adventis, minùs metuebat extremæ egestatis casum. His peractis, *Alexius* denuntiavit gratiam Magni Principis, licere Sibi scribere in Patriam literas, revisas tamen reddendas Internuntio, declaravit. Inter complures, Sacræ Regiæ Maieitati per modum supplicis libelli eiusmodi transmissæ.

Serenissime ac Potentissime REX

Domine Dñe mi Clementissime.

Post submississimam Maieitati Vestra gratiarum actionem, pro Regali & Clementissima compassione (quam super sortem meam presentem, Clementer Sacra Regia Maiestas Vestra demonstrare dignata est) dum residuum factorum meorum Divino decreto subijcio, procido ante Thronum Sacræ Regiæ Maiestatis, supplicando eidem, ne permittat mori Captivum illum

lum subditum, qui pro afferendis in libertatem Pro-
 vincijs Maiestati Vestrae subiectis, factus sum præ-
 da: quiq; in presenti etiam calamitate mea, (quantum
 per iura moderna sortis licet) pacis studia, semper
 aliàs studiosissimè promota, constanter prosequor.
 Ad qua non obscurè videtur inclinare Moschovia, si
 Sacra Regiæ Maiestati Vestrae, magis Tanti Princi-
 pis amicitiam, armorumq; Eius societatem, quàm Re-
 giones rebelles Kozacorum æstimare placuerit. In
 quantum verò pacis artes non successerint, supplico,
 ne alia eliberationis meæ media prætermittere digne-
 tur, quæ volenti non deerunt. Paterno Maiestatis
 Vestrae, dum me meosq; residuos in Patria commen-
 do respectui, pro cura mei humillimas rependo gra-
 tias, petens à Divina Maiestate, ut terrenas, Vestrae
 Sacra Regiæ, & Careæ, Maiestates, quàm celerrimè
 unitas concordia, firmet adversus communes ho-
 stes; imò ad maiorem hostium confusionem, proferat
 longè gloriam, confirmet utriusq; Solium: mihiq; con-
 cedat, tandem cum debita gratiarum actione, pro Pa-
 terna sollicitudine, ante Solium Regale procumbere,
 Maiestatis Vestrae deosculari dexteram presenti, quam

nunc venerabundâ deosculor intentione.

Moscuae Sacrae Regiæ Maiestatis Vestrae,

10 Febr: 1659. Dñi Dñi mei Clementissimi

Humillimus & Obsequentissimus

Subditus ac Servitor

VINCENTIUS CORVINVS

G O S I E W S K I

Amovetur tandem *Alexius*, successor datus *Stephanus Kukowinski* Colonellus, Vir Civilis per omnia. Is ab *Alexio* suapte naturâ ad crudelitatem efformato, & Genti Nostræ infensissimo, molestias quasdam ad divexandos Captivos institutas amovit; reliquas tamen (desuper Sibi metuens) exerceri permisit; præsentī interea miserorū condolens calamitati, eos in spem melioris fortunæ erigebat.

Athanasius Nasczokin (quem arctam antehâc cum C O R V I N O libero, coluisse amicitiam, tum iunctâ armorum societate, bello pressisse Livoniam; deniq; tractandæ pacis armorumq; causâ, vtrumq; à Suo Principali Plenipotentiaris obtinuisse, superius innui)

*A Nasczokino
visitatur*

de consensu Magni Principis, visitaturus
CORVINVM accessit: pollicitus literas &
quæcunq; vellet Sibi, vel hinc ad Suos trans-
mitti, fideliter se Kokenhauzo Liyonico trans-
missurū. Quod & præstitit posterioribus annis
bonâ fide, exhibuitq; non levia civilitatis indi-
cia, in transmittendis incorruptè medicamen-
tis, literis, & pecunia.

Eâdem hyeme, dum res Vkrainenses vrget
Trubeccius, ex aliâ parte *Ioannes Chowanski* valido
40000 Moschorum Novogrodensium, Plefcovi-
ensium, Lucensium, Toropencensium exercitu, in-
gressus Lithuaniam, cum NICOLAO IV.
DYCKI Equite Melitensi in stagnis Miadzio-
lensibus glacie firmatis confligit. Trepida-
tum est primò in castris Moschorum, ipseq;
numerossimus aliàs illorum Equitatus factò
congressu consternatus; cùm Lithuani quàm-
vis numero inferiores, (3000 censeban-
tur) obfirmatis in omnem fortunam animis,
in hostes irruerent. Verùm erexit dejectos in
timorem Moschorum animos, pertinax adversus
temera-

*Chowan-
ski confli-
tus cum
Lithua-
nis & vi-
caris.*

temerarios impetus peditatus, primosq; Lithuanorum cæde repressit: inde vrgente iterum equitatu, in fugam effusi Lithuani, cædem suorum & Victoriâ hosti reliquerunt. Addita cladi ingens hominum iactura, cum glacie fractâ plurimi Lithuanorum mergerentur: cæsi, & aquis suffocati plurimi; captivi insuper 400 Moscuam missi. Inter quos **CASIMIRVS PAC** (iam nunc Episcopus Samogitiæ) **HIERONYMVS PAC** Palatinides Trocensis, compluresq; alij Avitâ Nobilitate & longo armorum vsu insignes. Hæc Victoriâ ex mandato Magni Principis, denuntiata est **CORVINO** in Cancellaria: non quod scire Eum vellent res gestas in Sua Patria, sed quia ad desperationem coactum, in Moschovia ritu Græco baptizandum, perpetuò vivere iuratū cuperent. Credunt enim Moschi, nullam aliam in terris gentem suâ, Christianum ritum religiosiùs colere: idcirco Græcos, Ruthenos, ipsos etiam Sacerdotes (quamvis vtriq; eâdem origine profecti) ternâ submersione rebaptizant

zant. Id tamen ab Orientalibus Patriarchis Anno 1667 interdictum est. Baptismus verò, magis fit in vim iuramenti fidelitatis Magno Principi præstiti, non redeundi in Patriam; quàm Religionis. Brevi itaq; post *Ioannes Zelabuski* (recenter *Pristavus* constitutus) postquàm multa fastuosè simul & mendaciter de fortunato *Trubeceij* successu in *Vkraina*, iactitasset,

Gosievius a Moschis sollicitatus ad baptismum.

suasit **GOSIEVIO**, precibus aggredi Principem, ritu Moschorum baptizari; opibus auctum perpetuò in *Moschovia* remanere. Adducebat exempla multorum *Moscuæ Virorum*. In præmium abiurata fidei, nomine Principis pollicebatur palatium (quod ab obitu Ducis *Nikitæ Romanow* Patruisui, non inelegans in *Vrbe* visitur) caterùm posse illi opes magnas, stabilemq; honorem *Moscuæ* contingere, si omissâ longinquâ & serâ pacis spe, præsentem potioremq; sequeretur. Ad hæc **CORVINVS**:

Responsu

Sibi baptizato, illicitum esse mutare ritum, respondit. Deo ritu Romano; Regi naturâ & lege Patriâ, æquè secundis ac adversis Patriâ, Suisq; rebus, obstrictum Se esse. Exempla non damnavit quidem, sed nec

sed nec laudavit. Palatio regali inhabitando, Se imparem censuit. Caterum Suam Patriam sorte (si quando eam frui sinant Superi) opibusque Se contentum esse. Demum si ita vellent Moschi, in carcere potius moriturum, quam aliquid facturum Suam Personam indignum. Eiusmodi responso passi repulsam, firmum CORVINI animum, amplius non attentarunt.

Post quadriennale bellum, æquè Suecorum ac Moschorum animis, pacis subijt desiderium. Pro componendo Legatorum congressu, venit Moscuam Sueticus Ablegatus. Per se infensos Moschorum animos CORVINO, ad odia vulgi extendit, cum illum facem belli inter hæc duo Regna (quæ Suecorum in Moschos merita, sociæque; victoriæ, tum ferè octoginta annis culta amicitia conflagravit) indigitasset.

Iam dudum CORVINUS, anxius de successu Patriæ, omni rerum notitiâ destituebatur; cum præter opinionem diuturnis desiderijs favens occasio sese obtulit. Excubitorum quispiam spe mercedis inde conquirendæ, ad

Ablegatus Sueticus Moscuæ.

Claudestini commercij literarum oblata occasio.

dæ, ad transferendas clàm schedulas, quòcun-
q; vellemus, suã offerebat operam. Res primo in-
tuitu visa (prout erat in re) plena periculi:
sed cùm homo promptus, versutus, insuper ava-
rus videretur, iuranti patrio more per oscu-
lum Crucis, terramq; voranti, datæ sunt lite-
ræ ad quosdam solâ famâ Nominis notos, sub-
scriptæ quoq; ignotis nominibus, transferendæ.
Altero die responsum attulit, monuitq; cir-
cumspectè hâc in re â Nobis agi oportere: in-
terim de sua fide benè probata nil effemus fo-
liciti, se enim horrendâ chordarum inquisitio-
nem aliquoties sustinuisse, nec tamen verita-
tem Inquisitoribus aperuisse. Probavitq; di-
ctorum fidem; cùm se toto corpore diris pla-
gis lacerum ostendisset. Fideli huius viri ope-
râ longo tempore vsi sumus, donec alios quàm-
plurimos eiusdem ingenij servitores, tempora
& occasiones suggestissent; quorum obsequio
diversimodè, commercium literarium fovimus,
plurimas cautelas conquisivimus; omnia nova
ac consilia intima Moschorum exploravimus, in
Patriam

Moschorum

mifimus, CORVINO informante, ac liberaliffimè obfequium Tabellariorum remunerante.

Palmarum Dominica quantâ celebritate & pompâ peragatur in Moschovitica Aula, fcripfère varij. Motus defiderio CORVINVS fpectandæ Celebritatis, obfervandarumq; ceremoniarum, per *Priſtavos* à Magno Principe, prodeundi in publicum facilè obtinuit facultatem; cùm ipſimet Moſchi, eo die ſplendidiùs ornati ab Extraneis plerùmq; ardentiffimè videri perambiant. Ante Caſtellum vetuſtiſſimo Sanctæ Trinitatis Templo ſubjecta planities, implebatur egregio cultiffimèq; veſtito & armato peditatu Prætoriano. Is tunc reſiduus in Vrbe conſtabat ferè duodecim millibus hominum, cæteri cum *Trubeccio* caſtra ſecuti. Mediâ planitie exſtat præaltum (unde iura plebi dantur, unde plebs de bello generali ineundo, aut quopiam nonniſi graviffimo negotio conſulitur) faſtigium, è quadrato lapide. (*Eobne* dicitur) Cooperiebatur eo die perifromatibus aureis, pavementum panno rubro; via

Dominicæ Palmarum celebritas Moſcove.

Eobne

K

quæ

quæ ducit ad Castellum, panno versicolore. Post solennissimum in Vrbe campanarum sonum, progressus è Castello Clerus: humeris Sacras vestes, manibus Cruces & Imagines præferens, insulsum vociferans carmen. Sequebantur numerosi Proceres, omnes aureâ argenteâq; veste, plerùmq; Persicâ induti. Princeps Coronâ (*Małamachowa* Moschis dicitur, quam creptam Babylone, dum illa per hydras, dracones, serpentesq; occuparetur, Constantinopolim, inde Moscuam à Græcis delatam fabulantur, aut credunt) redimitus; super vestem talarem gemmeû cingulo tenùs pectorale: (*Pierśida* dicitur) tum Crucem adamantinam in pectore gerens, hinc à *Regulo Hruzdzinensi*, inde à *Czerkascio*, ad prædictam Ecclesiam deducitur. Sequitur numerosissimus Aulicorum Comitatus, gestientium tum Principi obsequi, tum à populo videri. Prodeunti Principi è porta, vniversus peditatus, populufq; tectis suspensus, inclinato ad terram usq; capite, exhibuit subiectionem. Breui interiectâ morâ, ab Ecclesia ad fasti-

fastigium *Zobne* progressi. Hinc inter cantus, duo Prælati pro adducendo asino, in castellum mittuntur: rami de arbore deijciuntur, palmæ benedicuntur, distribuunturq;: stantibus circumcircâ suis locis, Proceribus, Officialibus, militiâ, populo, summo silentio & modestiâ. Post benedictionem palmarum, Coronatus Princeps, suo pollici sinistro habenas dependentes induit, medius inter Proceres, equum telâ involutum, asinum repræsentantem, anteiturus. Interea per absentiam Patriarchæ, *Metropolitæ Cruticensis*, aureum Archiepiscopalem habitum, tiaramq; indutus, prægrandem toto corpore ad partem obversus, conscendit equum. Solenniſſimo campanarum exorto sono, populus sua capita, armaq; terræ allidit; nec prius erigit, nisi Princeps Castellum subeat portam. Tecto cuidam depressiori, cum *Pristavis* Suisq; Concaptivis commodè superimpositus, pompam spectabat GOSIEVIVS: ad quem inter discedendum è fastigio, Princeps misit Colonelium *Artemium Serbeiewicz*: qui pro more Gen-

tis, titulis Magni Principis recensitis, eiusdem
 Nomine de successu valetudinis requisivit. Is ho-
 nos habetur eo die, omnibus Externorum Prin-
 cipum Legatis, qui eâdem formâ spectaculo
 sacro, super tectum impositi adhiberi consue-
 verunt. COR VIN VS Suæ forti præsentî,
 idoneâ vsus inclinatione, *Vivere se incolumem,*
& liberaliter gratiâ Magni Principis haberi, re-
spondit. Neminem alloqui, à nemine salutare
 permissus, redijt domum. Quòd verò Magni
 Principis Serenissimos oculos (Gentis id voca-
 bulum est) eo die vidisset, mensâ Ducali, do-
 mum scilicet publicè allatâ, honoratus. Pa-
 schalis dies non ita solenni apparatu celebra-
 ta est: siquidem sequenti die, domum ligneam
 extrui vidimus, mechanicaq; exerceri liberè,
 citra festi iniuriam: observavimus osculo sibi
 invicem, ovoq; paschali dato, ebrietate vulgi,
 tinnitu continuo campanarum, (nam cuius ma-
 lèpoto, quâcunq; libuerit diei vel noctis horâ,
 turres conscendere licitum per octiduum)
 quàm devotione hi dies notabiliores.

Pascha

Incunte

Ineunte vere, visum est Moschorum Proce-
 ribus, amandandos esse flumine secundo Capti-
 vos, in remotissimas Regiones Kazaniæ, Sibiriaë
 & Astrachaniæ. Porro adinventæ est hæc tu-
 ta exiliorum ratio, tum summo imperij augen-
 di promovendiq; studio; tum his præcipuè de
 causis. *Primò.* Quia per impenetrabiles sylvas
 paludesq; inde Captivi nullam occasionem fu-
 gæ possunt arripere. *Secundo.* Hinc quoq;
 absq; vigilum continuo labore, & enervatio-
 ne, securè & liberè vivunt. *Tertio.* Absq; e-
 rogatione Thesauri publici, domos & agros co-
 lunt, piscationes exercent, mercantur &c.
 nunc verò securi aliena subsidia in carcere ex-
 pectant, sibi ignavi, fisco Principis graves.
Quarto. Omnium verò maxima ratio est augen-
 darum & excolendarum vastissimarum solitudi-
 num Sibiriaë, in quibus captivi plerumq; de-
 speratione acti, ritu Moschovitico baptizan-
 tur, nunquam inde (quasi iuramento obligati)
 in Patriam redituri. Rarissimè videris fontes
 plecti, sed omne crimen Sibirienti exilio, aut
 ibidè

*Sibir
 Regnum
 exilij.*

ibidem labore continuo, erigendo muro, co-
 quendo sâli perfolvitur. Hinc initio cuiusvis
 veris plerûq; ad duo vel tria fontium millia,
 secundo flumine in colonias deducuntur in a-
 gros captivos, subsidium adversûs incolas re-
 belles, & imbuendis socijs ad officia legum.
 Huiusmodi coloniæ incultam olim Sibiriam, a-
 deò frequentem effecerunt, ut anteferatur plu-
 rimis Moschoviæ Provincijs. Astrachania quoq;
 Principum Tartarorum quondam vile domicili-
 um, Vrbi Moscuæ amplitudine, opibus, commer-
 cijs, hominum frequentia, magnâ ex parte æ-
 quiparatur. Hoc anno 500 Polonæ Gentis
 Captivi, fontium verò Moschovitarum duo mil-
 lia, Moscuæ numerabantur in carceribus, Kaza-
 niam deportandi. Præterea CORVINVS de-
 cem personas in solatium carceris deligere,
 cæteros à Se dimittere iussus. Quem omitti
 posse? quem deligi? dubius, neq; Sibi vitam tan-
 ti, si per iacturam sociorum servanda foret,
 per *Pristavos* supplicabat. Delectu Officialium,
 domesticorumq; habito, immemor Sui, etiam
 Chi-

*Decem
 Conca-
 ptivi re-
 licti.*

Chirurgum proſcripſerat, niſi magnis tandem precibus effeciſſet, ut numerus reſiduorum, in vniverſum duodecim perſonis augetur.

Adiacebat eidem domui hortus nō inamænuſ, illi ut liceret interdium cum *Priſtaris* ſpatiari, petiit; ſed ut curas eius conquiſitis moleſtijs augerent, utq; tolleretur ulterior petendi occaſio, illico porta occluſa. Sic deinceps loco peranguſto, humido, fætido incluſus, nullum aliud ſubſidium recentis auræ habebat, niſi quòd, ſuper tectum aſcenſus, indeq; proſpectus diſſimularetur magis, quàm concederetur.

Inter quotidianas acerbitates, inaffuetus malis animus, pro ſingulari ſolatio colebat reputabatq; clauſtrum literarum commercium: cui augendo, modis adinueniendis, excubitoribus defraudandis, plurimæ impendebantur horæ, ſecreti vix duobus aut tribus conſcijs. Accedebat non leue huius commercij adminiculū, quòd vigilēs (qui plerumq; mechanica exercent) pannum, telam, pelles, venum apportare, & frequentius domum accedere (utpotè fi-

Clandestinum literarum commercium.

diffi-

Paulus
Potocki
Palati-
nides
Braſta-
wiensis.

fidiffimi Principis) minùs vetarentur. Incunte Junio fidus ille Moschus, mercaturam simulat: venales luporum pelles candidas adfert. Has cùm emere recufaremus, laudat ille magis, attrèctare extrà & intrà iubet; intus attrèctanti, de manu in manum dexterrimè inferit chartam, à PAVLO POTOCKI ibidem degente, transmissam. Is similibus belli fatis correptus, claritatem Generis, Moschoviticâ captivitate involvi tantisper patiebatur: liberiùs tamen illïc commorando, integro triennio fovit cum C O R V I N O literarum commercium. Contenta hæc. *Benè speraret; Ablegatum Regium Moscuam adventare: qui tractatum pacis, simul & eius uti Legati restitutionem, sit promoturus, nil certiùs. Moschos nunc à pace honesta non adeò abhorre, cùm validissimas Trubeccij vires, exigua Kozacorum manus inclusa Konotopi, quotidianis claudibus remoratur.*

Ingens præterea incendium in Vrbe exortum, multò maiorem calamitatem videbatur præſagire; siquidem complurium Procerum opulen-

pulentas domos absumpsit, neq; ullâ ope ex-
 stingui potuit, quàmvis focum improbo labore,
 & ordine, omnis Prætorianus peditatus oppri-
 mere conaretur. Ob crebriora incendia, inte-
 grâ æstate singulæ domus, super tecta noctu
 alunt excubias privatas; quæ aquam ibidem fæ-
 tore incorruptam conservare tenentur. Ad si-
 gnum campanarum (dando autem incendij si-
 gno, non nisi tres in Castello destinatæ, *Nu-*
bat, populari vocabulo dicuntur; quarum maxi-
 ma eo ipso momento, quo oriebatur incendi-
 um, fracta est) proripiunt sese omnes Colo-
 nelli, Centuriones, Peditesq; fistulis aquæ at-
 trahendæ & exonerandæ, urnis, securibus, ar-
 mati; vnaquæq; turma propriâ sibi tesserâ, cõ-
 militones convocando. Removetur populus ab
 incendio, pars portandæ aquæ, suffocandoq;
 igni, pars arcendis tectis incendio, pars fra-
 ctis plurimis, quandoq; minùs obnoxijis incen-
 dio aulis, rescindunt igni alimentum. Finito
 incendio, notantur absentes, postridie hono-
 ratiores pœnâ carceris aut æris in vsum sui

Moscuæ
incendi-
um.

Quali-
ter incē-
dis opprē-
muntur
Moscuæ.

Colonelli, castigantur: gregarij, quandoq; Centuriones etiam, corpore solvunt absentiae culpam. Præsentes omnes, ex cella Principis, vino adusto postridie tractantur. Hisce aliquot horis, ne se loco moveret CORVINVS, monitus ab accurrentibus *Pristavis*: ascendere nihilominus tectum permissus, vigiliis circumquaq; auctis & duplicatis.

Ex his fortuitis casibus, Gens incantationibus & veneficijs dedita, gravem sibi met præfagebat cladem, quæ iam Deo vindice, Moschorum rebus maturefcebat.

Diebus sequentibus, inter simulata colloquia, conquisitis medijs, expiscabantur *Pristavi*, num CORVINO de adventu Ablegati Regij, aliquid constaret? Tum, quâ ratione pax coalescere posset? nutui magis quàm verbis intenti, inquirebant. Vir per se sagacissimus & iam monitus nuper Centurionis periculo, nullam præsetulit notitiam: egitq; in similibus colloquijs exploratorem genij, morum, reruq; Moschoviticarum adeo sagacem, ut multa de præ-

præsenti statu, Pacis & Belli consiliis, suaq;
libertate, per coniecturâ attingeret: quæ post-
modum alienis literis, clam ei scriptis, ipsoq;
eventu comprobata.

Regiæ literæ quasi ex improvise redditæ,
hæc continebant: *Quamvis irriti conatus utri-
usq; Gentis evaserint, magisq; res dilationibus quam
serio gesta, immo lus Gentium à parte Moschorum,* *Regiæ li-
teræ.*
*in Persona VINCENTII CORVINI, sit
violatum; nihilominus animum Suam, rebus adver-
sis æquè ac secundis, à medijs iustæ pacis non abhor-
vere. Cuius constituenda causâ, Legatos Se ad con-
finia expedire velle. Magnus Dux vicissim, Suos
expediret Plenipotentarios. GOSIEVIVM pa-
cis consicienda instrumentum, Iure Gentium liberum,
sisteret &c. Aliter nec pacem, nec tractatum præ-
liminaria coalescere posse. &c. Seu quòd vide-
rentur Moschis literæ imperiosè scriptæ, seu
inassueti Fortunæ malis, ad Konotopum exa-
cerbati adverso successu, ferocissimè accepe-
runt Regias literas: postulatorum superbiam Pro-
ceres increpabant: quasi cuiquam Regulo (ita per cõ-
temptu*

*Fortu-
na info-
vens.*

83

temptum referebant G O S I E V I O) aut Du-
ci scriberet R E X; sic Magnus Princeps; iubetur
Legatos expedire, sistere G O S I E V I V M, quem
iure belli captum, seu detinere, seu liberum dimitte-
re placeret, à Suo dependet arbitrio. Quò quisq;
ferociùs contra Regem investus est, maiorem
inde spem gratiæ sibi pollicebatur. Rescri-
ptum Nòmine Principis: *Traetatum inchoare se,
nec posse nec velle, nisi Legati Polonici Moscuam
veniant. Moscuam, & non alium locum congressui
Legatorum utriusq; Gentis se designare: à conventu
alibi habendo, se abhorrere, utpotè impedimentis,
momenta suarum victoriarum, & sumptus distra-
hentibus.* Idem ut literarũ Nominisq; Sui authori-
tate persuaderet, admonitus C O R V I N V S, si
vellet pacẽ accelerari, quæ vnica Ei in Patriam &
pristinã libertatẽ, oclusas hæctenus ianuas ape-
raret. Ablegatus Regius admissus ad C O R V I-
N V M, ac quamdiu vellet, permissus liberè in
conclavi colloqui; Regias quidem nullas, (quòd
exemplo præteriti Internuntij desperaretur ac-
cessus) Archiepiscopi tamen Gneznensis, alio-
rumq;

rumq; literas attulit.

*Illustrissime & Excellentissime Dñe
Domine Frater Observandissime*

*Quantumcunq; calamitatum, Illustrissimam Excel-
lentiam Vestram perpeti impulit bonitas DEI, id
non solùm innato animo fortibus viris, sed etiam
uti bonus Catholicus dignetur perferre, eò animosius,
quia pro Rep. Manet recens memoria Illustrissima
Excellentiæ Vestrae aequè apud Maiestates, ac in
Collegio Nostro, omnesq; bonos Cives, id sollicitè
suspirijs ingeminantes, ut quamprimùm restituat Il-
lustrissimam Excellentiam Vestram Nobis & Pa-
tria. Quibus dum ardentissima mea adiungo vota,
semper maneo*

*Illustrissimæ Excellentiae Vestrae
Frater Benevolus & Ser-
vitor Obsequentissimus*

Varsoviae 4. Iunij

1659.

VENCESLAVS A LESZNO

Archiep: Gnez.

Responsum Archiepiscopo in hæc verba:

*Illustrissime Celsissimeq; Princeps
Domine Dñe Colendissime.*

*Quidquid in me Divina bonitas sancivit, & neces-
sitas*

sitas edocuit tolerare fortiter, (tum maximè ab Il-
 lustrissima Celsitudinis Vestra Religione firmatus)
 feram constanter, dummodò recens mei memoria non
 evanescat cum tempore, meiq; sit par merito cura.
 Cui operi quòd Illustrissima Celsitudo Vestra primam
 Suam in Rep: authoritatem non gravatim applicare
 dignatur, dum humiles rependo gratias, eandem in
 excipiendis Ablegatis ad preliminarìa tractanda, &
 dimittendis cum omni hospitalitatis & benevolentia
 testimonio, ut non gravetur interponere, obnixè peto.
 Deniq; me in suum, multoties probatè benevolen-
 tia, Illustrissima Celsitudinis Vestra depono, maneoq;
 Moscuæ 25 Iulij

1659.

Illustrissima Celsitudinis Vestra
 Humilis Cliens & Servitor
 Obsequentissimus

VINCENTIVS CORVINVS
GOSIEWSKI.

Complures alias in Poloniam deferendas lite-
 ras publicè, privatim verò monita Patriæ salu-
 bria, oretenus transmisit. Prandio Magni
 Ducis

Ducis exceptus, expeditus Ablegatus, dum se
lentiùs ab Vrbe expedit, repentè ab accurren-
tibus trepidè *Pristavis* Moschis, quantocyus i-
ter inire, Legatorum adventum accelerare, iu-
betur. Eodem die post solis occasum, apud

*Trepida
expedi-
tio Able-
gati-*

GOSIEVIVM numerus consuetus excubia-
rum triplicatus, *Sentinelle* duplicatæ. Insuper
præter morem, terni excubitores tecta domûs
singula conscendere, à *Pristavo* causante me-
tum incendiij, iussi. Mercatores opificesq; ad
portam domûs accedere, vigiles introire cubi-
cula, cum Captivis privatim colloqui, insuper
ipsi Captivi de publico statu belli Vkrainensis
percontari vetiti. Moschus quidam, iam inde
ab adolescentia miles, qui Martiam ætatem ad
canos gravemq; senectam provexerat, nobis
plûs cæteris additior, ex condictamine victua-
lia ferens, brevibus indicat *stragem Moschorum*
inauditam ad Konotopum, Trubeccium cum residuo pe-
ditatu periclitari. Generalem GOSIEWSKI ar-
etiùs teneri, ob metum rerum novandarum inter po-
pulum, si fama rei gesta ad eum pervenerit. Eâdem
die

die alter Moschus dicta comprobavit literis, quas attulit à PAVLO POTOCKI, ocreis iniectas.

Trubeccius (vti supra innui) validissimas Moschorū Copias effuderat in confinia Vkrainæ. Kozacorū Generalissimus *Ioannes Wybonski*, nuper in generalibus Regni Comitiiis, ob reductos in obsequium Reip: Kozacos hucusq; rebelles, à Rege Poloniae Senatorio honore, opibusq; Barenensis, Lubomlensis, Czehrynensis, Præfecturarum cumulatus; ex rebelli, Regias partes tuebatur. Cùm verò se tanto apparatusi Moschorum imparem ad resistendum iudicaret, *Gregorium Vlanicki* Colonellum Nizynensem cum tribus Kozacorum millibus, in Oppido Konotopensi obsidendum, Moschorum potentiae obiecit. Ipse ad Principem Tartarorum celerrimū expedit Nuntium, qui de hoste edoceret, communemq; imploraret opem. Moschis nil facilius visum est, quàm Konotopi excidium: sed primo alterove assultu fracti, temeritatem in consilium commutârunt. Primùm globorum pulvere

Obsidio
Konotopi,
Oppugnatio
Et clades
Moschorum.

pulvere pyrio impletorum, incomparabilem vim iniiciunt: tum assultum generalem indicunt. *V-laniccius* excursionem factâ, postquam ex Captivis intellexisset assultum instrui; pontem feris trajeci, militem continuas vigilias agere, vallû egregiè milite & armis impleri iubet. *Moschus* posse ratus ancipiti tumultu, & nocte augente pavorem, memorabilem remgeri, profundâ nocte ponti peditatum immisit. Iam *Clerus* Tutelares manu præferens Icones, magnâq; pars peditum pontem subierat, cum dato signo in vallo, pons collabatur, peditatus simul & *Clerus*, hinc ruinâ opprimitur, inde in subitanam cladem excursionem compellitur. Auxerunt præfidiarij in hoste cladem; dum excitato lumine, quem quisq; sibi proposuisset in fossis, destinatis ictibus trajiceret. Cæteri diversis locis, pari consternatione & clade oppressi, iacturâ aliquot millium hominum, factum persolverunt.

Dum hæc ad *Konotopum* geruntur, Tartarorumq; *HAN* socios belli *Kozacos* pericli-

M

tari

Moscho-
rum con-
silio, &
genera-
lis oba-
des.

89

tari accepit, generali indictâ expeditione, mi-
râ celeritate centum millia Tartarorum, auxili-
ares *Wyhomscio* suppetias adducit; iunctisq; si-
gnis, tribus à Konctopo milliaribus castra lo-
cant. *Trubeccio* viribus & omni ferociâ supra
modum elato (validus namq; equitatu, pedita-
tu, & *Artiglieriâ*, quam Tartaros plusquam dici
potest, metuere fama ferebat, aderat; Tartaris
autem sola in equite vis) de adventu hostium
non ingratus accidit rumor; proinde parte pe-
ditatûs intra vallum ad onera & currus relictâ,
in aciem robur belli peditatum educit: pri-
mum omnium, equitatum totum castris pro-
ductum, præcedere, ac hostem versûs tendere
iubet. Octoginta millia equitum, Ducibus
Simeone Pożarski & *Lwovio* superabant paludo-
sum amnem, *Artiglieria* quinquaginta millium
peditatu munita, frontem aciei obtentura, suâ
mole gravis, lentiùs cum Generalissimo adven-
tabat. Nec mora dimicandi facta est, cum
Trubeccio & vires, & res secundis eventibus
gestæ, parandæ gloriæ; *Wyhomscio* contrâ du-
plicat.

plicatæ vires, spem & animos vtrinq; erigerent. Primi Poloni, (quorum mille equites apud *Wybowscium* stipendia mercabantur) & Kozaci in frontem equitatûs, Tartari verò pars in frontem, pars hostium alas circumvecti, à lateribus hostem necdum aciem instruentem invaserunt. Turbatis primùm, mox circumventis Moschorum ordinibus, non iam pugna, sed fuga & perennis clades secuta est. Omnium animis & equis ad superandam paludem retrò conversis, obiectu cadaverum fit angustior regressus, maiorq; cædes. *Pozarski* emeritus Dux, plurimis aliàs expeditionibus Tartaricis clarus, & *Lwovius* Campi Marschalcus, capti, ac dū verbis contra Victorem ferociùs quàm pro fortuna certant, interficiuntur. Colonelli, cæteri q; Officiales equitû, pleriq; aut capti aut cæsi. Equitatus florentissimus per Smolensciam, Russiâ, Lithuaniam, Livoniam, quinquennio Victor circumductus, interiit. Captivorum tantus numerus, ut à singulis Victoribus terni quaternive traherentur: quotusquisq; reliquus inter

cadavera faucibus, pavidam ægrè servabat ani-
 mam. Peditatus non sine strage Suorum, cum
Trubeccio, ægrè Victorem à cervicibus repressit.
 Hinc verò apparuit odio furoreq; duce pugnatum
 esse; cum post cruentam pugnam immanesq; Mo-
 schorum cædes, cædibus superstitem insistere;
 nil opus Captivis, solam Gentis internecio-
 nem finem bello imposituram, *Han & Wybow-*
scius edixissent. Tunc in amplissimum campum
 Captivos productos, iuxtà deditos ac captos,
 nullo Nobilitatis aut ætatis intuitu, promiscuâ
 clade involvunt. Nemo ex Tartaris abducen-
 di vivos in Tauricam, prædæq; memor est, do-
 nec ad septuaginta millia cadaverum cupidus
 cruoris Furor, cædiumq; avida crudelitas
 pervenit. Magna hæc inauditaq; hoc sæculo cla-
 des minueret fidem, nî pari numero, paribus
 armis, & æquâ spe pugnatum esset, nî diminu-
 tæ Moschorum vires, & tot cadaveribus etiam-
 num spectandis operti campi, impletæ valles,
 grande memorabilis cladis documentum exhi-
 berent posteritati. Certum est, Magnum Mo-
 schorum

schorum Principem nunquam posthâc tam numerosum, tamq; validum reparâsse robur. Hæc pugna maturum & longâ bellorum praxi probatum militiae robur, hæc maturescentem in iuventute Moschovitica exercitûs florem evertit, & formidando Moschoviæ fato involvit. Intremuit Moschovia ad tantæ cladis nuntium, infausstasq; fortunæ vices non sine gravi doloris sensu excepit: ut quæ modò victricibus armis, aut deditione, integra Regna possederat, illa versâ fortunâ, hostile ferrum, infestis populationibus brevi per viscera sua grassaturum, expectaret. Magnus Princeps ad tam insperatum nuntium, capite fasciâ nigrâ obvoluto, comparuit in publico. Is Genti mos visitatus, scilicet calamitate publicâ, Supremum Caput affligi, demonstrare solitæ. Non iam Princeps ampliandi Imperij avidus, sed providus imminentium malorum, Urbis mænia (quæ immota aut modicè laceßita pax, tum perennis victoriarum successus, & virium confidentia firmabat) hucusq; contempta, celerrimè reparari mandat

*Mos
Principū
in tali ca
su.*

mandat, nec iam intentus (ut olim) Maieftati, Ipsemet crebrò, Procereſq; vili adſtant labori. Populi ex agris profugi, tam numeroſa ad Urbem confluebant agmina, ut Vrbs capaciffima aliàs, hominum non caperet multitudinem: montium inſuper proſpectum pulverulentus àér, circùmquàq; adimeret. Mæſtæ Urbis res, Principi in Regiones Wolgæ vicinas, centum leucas retrò Iarofflaviam, apparabant iter: circùmſpiciebat nihilominùs, *quò ſe tanta verte- ret fortuna, & num ſuus hoſtis, prouti vincere, Victoriâ demùm uti ſciret.* Extrema dum metu- it, dum Legatorum Poloniæ Regis adventum Moſcuam (prouti nuper denuntiaverat) totq; ſimul Victrices Copias in tempore validiores ab- nuit; magnis itineribus ire in Poloniam ſuum Ablegatum Ioannem Zelabuſki iubet. *Quamvis Legationi ineunda Moſcuam Urbem, nuper Suis li- teris per Ablegatum Polonicum deſtinaverat, nibi- lominùs perſpectâ difficultate, longinquitate loci, ſe Pacis ſemper cupidum, locum medium inter utramq; Regiam, Boriffoviam, & Miſcum (diſtant hæc Oppi-*

*Inſignis
ars Mo-
ſchorum
in aver-
tendis
Moſcuâ
Copia
Poloniſis*

Oppida ab Vrbe Moscua centum sexaginta miliaribus) *designare, per suū Ablegatum denuntiat Regi.* Metus quidem id in hoste extorserat, sed maius certè erat studium, à visceribus suæ Gentis, Legationem armatam, scilicet Legatorum, simul & tantorum Exercituum assistentiam, (præsertim quod alterâ parte Polonos & Lithuanos cum Legatis, quasi sponte iam nuper Moscuam invitatos) hâc arte reprimendi, aliouè avertendi. Iam edocti præsentis suo malo, *fortunam belli aequè Suis ac Vicinorum rebus dominari, modestiores quàm antè, Regi Poloniæ scripserunt literas.*

Polonus curâ Suetici belli, Comitiorumq; implicatus, omnia sua ad Prussiam & Curlandiam converterat studia: ideò nec tam repentinis Suis successibus bello promovendis, adesse poterat; cùm insuper domesticis suis malis (nam miles etiam Ducum exiit imperium) distraheretur. *HAN* quoq; *Krimensium* Regulus memorabili contentus victoriâ; perfractisq; circa confinia Moschoviæ munitionibus, nume-

rosiss-

Cur Po-
loni non
urgent
Victori-
am.

rosissimâ hominum abactâ prædâ, rediit in Tauricam. Rex quoq; Poloniæ IOANNES CASIMIRVS, nova & mira tunc circa electionem CONDÆI, Se vivente instituendam, invitâ Rep: arripuit consilia, potiùs quàm belli promovendi.

Moschovia verò præsentissimo liberata naufragio, cæsorum Nomina describi, funebres haberi honores; Ducem *Požarscium* (& ad caritatem suorum, & ut promptiùs pro Principe cæteri periculum adirent) in numerum Martyrum referri; vitam eius & *Canones* (ut illi vocant) conscribi, quò magis pateret omnibus Cæso præstitus honos, decrevit. In fontes verò cladisq; reos, ac inprimis *Trubeccium*, infallibili capitis poenâ animadvertendû destinavit. *Trubeccius* cùm iam Moscuaè publicè proditor audiret, dignitatem suæ excusationi addere, Moscuam reditum retardare, Tartaros causari; interea Proceres prensare muneribus; & missis ad exuendam fidem, corruptoribus, Kozacos hostes emergari non desistebat.

Požarscius in numerum Martyrum relatus.

Antiquissimo siquidem usu receptum erat in Moschovia, Duces belli percuti securi, si improspere eventu rem gesserunt; chordis cædi Gubernatores, si fame adacti, fortalitorum paciscuntur deditioem: si pavore & belli formidine, capitis, aut per conniventiam egregiè chordis cæsos exilio damnari. Iamq; senescentibus odiis, felix eventus publicarum rerum, lapsas res *Trubeccij* in Aula sublevavit: nam Kozacorum animi, Græcâ levitate rebelles & mutabiles vivere assueti, pulso *Wyhowscio*, multis Polonorum trans Borysthenem hyber-

*Kozacâ
iterum
transcunt
ad Mo-
schos.*

Hoc rerum successu, ac novis Copiis quinquaginta millium, intra trimestre conscriptis, iam animis elati Moschi, à pace penitus abhorrere cæperunt. Mittitur in Poloniam Ablegatus *Sielimerstiew*: hic ulteriores nectendo moras, obijcit iura Legationum violata in interceptiendis Moschoviticis Legatis ad Kozacos dimissis, aliasq; causas non causas opponit, dum

N

remo-

remorari intendit Legatorum utriusq; Gentis congressum (quàmvis præteritus Ablegatus, fore in Novembri congressum, publicâ fide, & colloquio publicè instituto declaraverat) quò verò gratior foret in Polonia hospes, petiit à CORVINO, obtinuitq; Recommendatorias.

Vkrainâ in formam Provinciæ redactâ, *Trubeccius* in Urbem pervenit. Magnus Princeps adnitentibus Proceribus, honores Ei (scilicet quòd non desperaverit de Rep:) & præmia Victoribus dari solita decrevit. Reduci Aulicus comitatus extra Urbem occurrit, ac perhonorificè, utpote clarum bello pacèq; Ducè, ad Castellum deduxit. Post resignatas Tutelares Imagines in manus Principis, humanissimè exceptus, arce *Trubecko* donatus, mensæq; Principis adhibitus. Quàmvis verò vix ipse cladi superstes, quòd in pretium iam occupatæ gloriæ ostentaret, non habebat, nisi salutem suam tot Suorum funeribus superstitem, triumpho adscripsisset, nihilominùs signa viginti, totidemq; ferè Polonæ Gentis Captivos, à *Kozacis*

zaxis Czernichoviæ, Pecaflaviæ, Nizyni in hybernis oppreffos, in illo fuo triumpho duxit.

Solutis non vano timore Moschis, solutum est quoq; excubiarum circa CORVINVM studium: liberiùs itaq; ac liberaliùs, (nam augebatur ex variis locis) clandestinum tamen, commeabat literarum commercium. Raphano inclusam; alter butyro insertam, attulit chartam. *Rediſſe ex Polonia Ablegatum Zelabuſcium hominem ingratum, immemoremq; hinc ſibi à CORVINO, illic ab Eius Amicis præſtitorum officiorum, novas excitare illi moleſtias, ciere bella, Moschorum animos accendere. Non longè abeſſe Regiù Ablegatù IOANNEM KORSAK Succamerariù Polocensem: Bychorviam quoq; per proditionem ceſſiſſe Moschis, &c.* Eventus probavit fidem: redux enim ex Polonia, fabuloſis narrationibus (inde ſibi creſcendi materiam, & quæſtum aucupaturus) & ad placitum Gentis, aſſentationibus aures implevit, commemorando Poloniam multiplici bello enervatam, Suetico penè infinito ob Colligationem Auſtriacam, implici-

*Reditus
Ablegati
ex Polonia.*

tam: nullos in promptu haberi conscriptos Exercitus, nec posse conscribi: quàmvis Regnù bellis plenum sit, nihil tamen minùs quàm bellum cogitari: ante omnia quo maximè moveri credebat Moschorum animos, Remp: exhaustam, auri argentiq; defectu laborare. Deniq; Regem ætate, perenni q; bellorum & curarum mole consumptum, non longævam trahere vitam: omnia in Polonia in Interregnum, in bella, in fatales ipsismet motus inclinare. Ex mandato Principis ad CORVINVM admittus, eadem miro fastu, mendax iactabat. Datâ ei in Senatu fide, Magnus Dux, incunte hyeme *Chovan-* *Chovan*scio cùm Plefcoviensibus, Novogrodensibus, Lucensibus, Toropcensibus, Polocensibus Copiis, Lithuanicam expeditionem indixit, & quò alacriùs in destinatum bellum, strenui Ducis animum impelleret, sex è suo Prætoriano peditatu Legiones prædictis Copiis adiunxit.

Chovan-
faius in
Lithua
niam de-
stinatus
cum E-
exercitu.

Appulit tandem Moscuam 20 Novemb. Regius Ablegatus. Is humaniùs quàm retrò alij, ad Principem admittus, CORVINVM con-
venire

venire, Ei literas è Patria quascunq; attulisset intactas, simul mille aureos consignare, ~~Regis~~ *Regius* ~~Patrem~~ *Ablegatus.* Patrem *Samuelem Kuderowski* è Societate IESV (qui peragendis Sacris Moscuae, vltro se ad carcerem, suamq; operam desponderat) adducere cum sacro apparatu, aliâq; suppellectile adiecta permiffus. Iam non exiguam manum, magni momenti Præcautionum in Poloniam mittendarum, integro hoc anno, hinc inde collegerat CORVINVS supra modum suspiciosam. Cui concederet deferendas? quâve ratione? apud Gentem (practicato aliàs exemplo) scripta Legatorum quandoq; vi scrutantem, non vanus subibat metus. Vicit metum amor publici boni Patriæq; , nam (postquam per *Łosonjium* Supremo Cancellario clavim Arithmeticam, clam transmisisset) prædictas Præcautiones descriptas, in promptu haberi mandaverat. Iam nunc venienti Ablegato, inter officiosas salutationes ab vno familiarium in manus insertæ, Moschis inter salutandum nequicquam fraudem sentientibus. Id cum cessisset

*Corvini
Præcautiones
mittit
in Patrâ
amo*

fisset ex voto, maioris momenti postmodum conscriptæ, iam discessuri Ablegati Filio, inter amplexus & mutua officia pari fraude & successu porrectæ. Nonnullas annectam.

Consiliorum Moschoviticorum hæc meta est, ut Tartaros muneribus corruptos, à Societate belli Polonici avellant. Tum omnibus conversis in Vkrainam viribus, iuncti Tartaris & Kozacis, de summa rei decertare intendunt.

Novis Copijs coactis, consilijsq; depromptis, ablatorum restitutionem urgere; immo iam per Chowanscium residua eripere decreverunt.

Brevi expediendus in Lithuaniam Chowanscius, bello decernet, priusquam tractatus accelerabuntur; nec prius movebunt hinc Legati, quam de eius successu edocti, hinc formaverint Pacis conditiones.

Vobis itaq; expedit, Tartarorum firmare animos, & amicitiam: damna ab hostibus inferenda, celeritate antevertere.

Tartaros firmabitis liberalitate & persuasione: si cum hoste opulento pacisci noletis, ut stipendia eis numeraverit: si Tartarorum Kazanensium & Astracha-

Arachanensium (quòd unice Moschi metunt) libertatem proponetis. Expediit quoq; Tartaros de Commissione praeavere, ne sint suspecti tractatus Pacis inter Poloniam & Moschoviam, tanquam sibi praeiudicio futuri. Quam suspicionem in Tartaris excitare nituntur Moschi per suos Ablegatos, caetera largitionibus apud Tartaros perficere sperant.

De expediendo Ablegato quatuor septimanis deliberatum: *Veteresne sumendi essent Spiritus?* *Consilia*
an incerta belli Fortuna, Pacis consilia praefenda? *Moscho-*
rum.
 Media via placuit. Literis quidem modestè scriptis, locum congressui Legatorum, non Moscuam, sed Borissloviam & Minscum destinârunt, *Chowanfcio* interim officium, non interrupto bello, continuifq; cladibus premendæ Lithuaniae, (cui tunc etiam Sucticum bellum gravi mole incubuit) impositum. Scriptis conformiter, initia tractatum, studio à Moschis ad mensem Aprilem distracta: sed *Chowanfcius* primâ hyeme prætergressus Lithuaniam, Grodnâ per deditiorem occupatâ, ibidem eâ quam faventior Fortuna belli concesserat quiete, ad corpora

corpora reficienda utebatur. Redux interim
 ab Aula Polonica *Sieliverstius*, cum officiosa sa-
 lutatione invisit *Chowanfcium*, collatisq; de sta-
 tu Polonicarum & Sueticarum rerum confe-
 rendis, magnis itineribus Moscuam repetiit.
 Sed iam illa omnia, quæ *Chowanfcio* communi-
 caverat, dum Magno Principi communicanda
 parat, ab alio celeriori præventus obsequio,
 nota invenit; dumq; reversus in Patriam, affe-
 ctus Principis, plaususq; populi præstolatur,
 citra spem improvidæ tarditatis pœnas acci-
 pit. Cum literis ex Patria missis, attulit COR-
 VINO idē Ablegatus, duo affabre facta aurea
 horologia, nonnullaq; supellectilem. Munuscu-
 la non indigna Principe iudicans CORVI-
 NVS, ut Careus Marschalcus *Theodorus Rtiszew*
 vetus amicus, dignaretur suo Principi offerre,
 per *Pristavum* crebrius interpellabat. *Rtiszew-*
vius nunc morbum, aliquando graviora Principi-
 pis obsequia simulans, hoc genus officij detre-
 ctabat: tandem res patefaeta â quibusdam Mo-
 schis addictioribus, per clandestinas schedulas:

Munera
Gosierij
cur non
accepta-
tæ.

inane

inanes esse, in offerendis Mdgno Principi muneribus, Eius conatus: quandoquidem Amicorum Principum munera, metu incantationum, diu sacris orationibus lustrantur, priùsqm in manus Principis perveni- ant: exacerbatum carcere Captivum, eiusq; Amicos, ne simile quid moliantur, venire in suspitionem.

Annis ferè duobus aberat ab Vrbe NICON Moschoviæ Patriarcha. Iam nunc diuturni impatiens exilij, (quod sibi ultrò indixerat, fremente populo ob receptos in tutelam Prin- cipis, eius arbitrio, Polonorum rebelles Koza- cos: ob conflatum inde eius consilio bellum contra Polonum: ob exotica studia linguæ La- tinæ, & in Ecclesiam tantum per eum intro- ducendum) postquam ad instantiam Cleri & Procerum, nec Patriarchale Officium resigna- re vellet, nec alium sibi successorem substitui concederet, invitatus à Principe & Proceribus, hâc hyeme Moscuam redibat. Infensum sibi populum conciliaturus, simulat pietatem, exem- plo Apostolico, cænâ appositâ viatorum pedes abluit, ac belli excitati retorquens in Princi-

*Patriar-
che in
Vrbem
reditus.*

pem odia, quasi infcius rerum, inquit, num
 pax cum Polono coaluerit? Negantibus, altum
 ingemiscit: sanguinem Christianum, rem Sacram
 per ludibrium profundi, nec aliam tanti profuvij,
 quàm Smolensci Urbis dubiam prostare mercedem,
 aut bello durissimo diu gesto, hoc unam acturam
 Moschoviam, ut pacem impetret, aut redimat. Vno
 ferè momento plurimorum odiis obnoxius, de-
 fertur Concitator Seditionis. Princeps indi-
 gnatus, cãdem ipsã nocte, Patriarcham ad su-
 um Monasterium, Hierosolyma nuncupatum, re-
 dire iubet; nã pareat, seditionis reum, è Sena-
 tûs arbitrio puniendum edixit. Paret edictò
 Principis Patriarcha, Urbem vix ingressus, e-
 greditur, in edictum Monasterium se recipit, in
 eoq; septennale sustinet exilium. Anno dein-
 de millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto,
 Magnus Dux indictã generali Synodo, Græco-
 rum, Moschovitarumq; Metropolitibus, Episcopis,
 Abbatibus, ac universo Clero; tum Proceribus,
 populoq; in unum coactò, citatum Patriarcham
 amovere Officio, ceu hominem turbulentum,
 suisq;

*Iterum
 amanda-
 tur in e-
 xilium.*

suisq; rebus infensum, decrevit. Citatus; à
 Clero Moschoritico, utpote filijs suis spiritualibus;
 à Grecis, utpote pecuniâ corruptis, se iudicari non pos-
 se, respondit. Solum Pontificem Romanum, Patrum
 Patrem, Sanctæ & incorrupta, nec venalis conscien-
 tia, (& ut eius verbis utar) cui non Græca ani-
 ma, super se habere potestatem, professus. Insu-
 per contra Synodum congregatam, prompsit
 anathema; idē etiam in ipsum Principem Autho-
 rem Synodi, Filios, totamq; Stirpem, (nō de-
 fisteret) Clerum, & populum, vibraturus. Mi-
 nantibus exilium Seleucense, respondit: se eti-
 am pro subeunda morte esse paratum. Hæreticum
 quidem Moschi tunc proclamârunt, sed metu
 excitandorum augendorumq; per eum motuum,
 quietum vivere ibidem permiserunt. Cū ve-
 rô non defisteret concitare odia, incompara-
 bili sumptu Antiochenum, Alexandrinum, Pa-
 triarchas ab Oriente, Princeps evocari cura-
 vit. Hi convictum multorum criminum, Officio
 absolutum, in Monasterium ablegârunt Anno
 millesimo sexcentesimo sexagesimo septimo.

Multa alia corrupta in illa Ecclesia, ab his Patriarchis, immutata, correcta, addita conformi doctrinæ SS. Patrum.

*Aliqua
de Reli-
gione &
de Riti-
bus Mo-
schorum.*

Siquidem pluribus iam antè locis rerum Sacrarum notitiam (ut nihil ad historiæ perfectionem desideraretur) posteritati relinquere allaboravi, nec id à Politico Scriptore censuram alienum, cùm longè plures ante me idem fecisse inveniam: facturum me operæ pretium existimavi, si aliqua de Ritibus Moschorum extrinsecis, non ficta, sed quæ ipsemet in libris Moschoviticis legi, quæq; inter Moschovitas degendo, primùm quadriennio Captivus: deinde quinquies Ablegatus Regum Poloniæ, IOANNIS CASIMIRI, & IOANNIS III ad Magnum Moschoviæ Principem, observavi, breviter attingerem.

*Origo
Religio-
nis.*

Inprimis notandū, perdifficile posse indagari genuinum Ritum, in libris mirum in modum fabulosis, quos tamen pertinacissimè tuentur, vocando *Pravidla Otcov Sviatych*, id est Doctrinæ SS. Patrum. Certum est, circa Annum nō-
gente

gentesimum, per invectionem Nominis Christiani Kioviam, eiusdem cultum per universam Russiam latissimè propagatum. Baptizantur *Baptizantur*
Moschi trinâ immersione. Ruthenos omnes, & *mus*
Clerum (scilicet qui Regi Poloniae subsunt)
hucusq; baptizabant, antequàm interdicto Patri-
archarum Orientalium eiusmodi erronea bapti-
smi iteratio inhiheretur.

Avulsionem suam ab Ecclesia Romana, ob *Diviso*
hanc causam firmissimè asseverant, quòd quispi- *Ecclesia-*
am *Kapernos* Papa Romanus raserit barbam. *rum*
Antonium Metropolitam indignatum facinori
Pontificio, Sacros veridicos libros lapidi mola-
ri superimposuisse, quo conscenso, per vastissi-
ma maria navigasse, ac tandem Nowagardiam
appulisse. Septem Concilia & Pontifices Ro- *Concilia*
manos illius ævi recognoscunt & approbant,
cætera detestantur & reiiciunt.

Nullum, ne Græci quidem idiomatis, vel *Litera-*
saltem Slavonicum aut Ruthenicum exerciti- *rum cult-*
um literarum publicè colitur, æquè populus *tura.*
ac Clerus, Sacrarum profanarumq; artium ru-
dist

dis, scire legere, sufficit Sacerdoti. Conciones, discursus, Controversias de fide, nullas audiveris. Archipresbyter Muromensis prædicationem Concionum inchoaverat: ob id facinus à Patriarcha percussus anathemate, & in Sibiriam exul cum focis pulsus.

Conciones.

Sacerdotium.

Nullus Sacerdotio præbetur honos; immo convitijs, pugnis, & virgis passim in eos sævitur. Contigit (me præsentem Moscuæ) unum villanum Presbyterum profugisse; Sacris initiatum, post annos quatuor, suus herus diu quæsitum cum reperisset, dempto Sacerdotali pileo (nam eo tantum à vulgo discernuntur) agriculturæ applicuit. Nil ignobilius filiis Sacerdotum, qui non nisi ad Ecclesiastica vel Cancellariæ munia applicantur. Mortuâ uxore, Sacerdos privatur Ecclesiastico beneficio, sed vel Monasticam, vel privatam vitam absq; Sacerdotio (veluti suspensus à Sacris) profiteri cogitur: innovare secunda vota matrimonij, nefas est. Monasticum institutum amplecti, absq; consensu Principis aut Potestatis non licet

Monastice.

cet

cet: ex Nobilitate petentibus, assensus rariùs conceditur, nisi cupiam emerito, aut illi qui in extremo periculo valetudinis, sese voto obstrinxit. In tali casu uxor sua obligatur ad porrigendam novaculam, quâ sui mariti capillitium radatur, quasi coningali voto cum liberatura. *Thimotheus Wladyka* in tali casu Monasticam vitam, postea Episcopalem professus, propriam uxorem ipsemet elocavit. Monachi & Moniales claustro non continentur, sed vicissim sese adeunt, invisunt, morantur per aliquot dies & noctes. Carnium tamen esu perpetuò abstinere tenentur. Similiter sæculares, diebus ieiuniorum, etiam in periculo mortis, vesci carnibus prohibentur.

Cultus Sanctorum, mirum in modum apud illam Gentem viget, circa recentiorum delictum, & inquisitionem in vitam & miracula, nullus rigor: idcirco haud procul fabulis, plurimæ inveniuntur traditiones. Dicuntur *Plescoviæ Dowmanto* miraculis claro, dari consuevisse à Civibus omni septimanâ novæ ocreæ, quam

*Cultus
SS.*

quam cùm neglexissent aliquando consuetudinem, prodiisse in publicum, obiurgatoq; populo, indixisse hostilitatem Polonorum, quæ brevi sub STEPHANO Rege Poloniae secuta est. Ab eo custodiri & circumiri mænia, excusæ ocreæ, quàmvis mundæ indicabant.

*Traditi
ones va-
rie.*

De *Sergio*, de *Andrea Krycki* trecentarum monialium violatore, lepidæ narrantur fabulæ, Polonos in oppugnatione Pieczarensis & Mozayscensis arcis, fingunt excæcatos, cùm tamen Mozayscū, & ipsa Imago pervenerit per belli rationes in manus Polonorum. Ante quadragesimam observatur in tota Russia, octiduo ieiunium cum lacticiniis: eius originem hanc uniformiter nobis Russi referebant. Regulus quispiam *Ircy*, zelo Religionis ductus, conscripsit Epistolam ad omnes Principes terræ, quâ persuadebat veri Dei cultum. Quòd verò dis-fideret Legatos cum honore excipiendos, canem (cuius collo literas appendit) expedit, Tantus prædicator & Legatus à lupis discerpitur. Regulus tactus dolore, quod suus zelus absq;

absq; effectu evaserit, prædictum indixit ieiunium. Vocaturq; etiamnum in tota Russia *Ircow post.*

Tonitruum & fulminum originem, ex suis libris SS. Patrum, incognitam esse ferunt: cumquæ vulgare Metheoricam rationem recensere-mus, illi demonstrabant, à Beatissima Virgine Matre Dei, quæsitum hac de re S. Ioannem, indixisse silentium digito ori appposito, nî vellet iterum Filium suum crucifigi. In cuius rei fidem, monstrant Icones S. Ioannis depictas, communiter digitum ori apponentis. Plura similia recensere, deq; fide controversias inducere, aut inquirere non mei officij iudico: cum & ipsi Moschi indignabundi nos audirent refragantes.

Omniû in bello cæforû, Dominicâ Septuagesimæ legunt catalogum, acclamante populo *Wiecznaia pamet, Aeterna memoria.* Ibidem e-lenchus legitur Proditorum suæ Patriæ, populo imprecante: *Bud pereklat, Sit maledictus.*

Eucharistiam consecrant in pane fermentato,

P

popu-

Ieiunia.

populus sumit sub utraq; specie. Ieiunia hæc observant. *Primò.* Quadragesimale cæteris rigidius. *Secundò.* SS. Petri & Pauli, inchoando ab Octava Pentecostes. *Tertiò.* Assumptionis, à die 1. Augusti. *Quartò.* Nativitatis Dominicæ, sex septimanarum.

Icones.

Imaginum cultus, usq; adeò viget, ut à simpliciiori populo, cultus Patriæ, soli Deo debitus, illis exhibeatur. Non priùs ad ingressum hospiti porrigitur dextra, nisi triplici Crucis signo, & trinâ inclinatione Imagines adveniens veneretur. Credunt enim Iconibus maximè propinquare Deû, inde prospectare, precesq; mortaliû, à Deo vel Sanctis nusquam propiùs audiri.

Cæterùm devotio tota consistit in campanarum tinnitu, vulgi verò continuâ inclinatione, signoq; Crucis: nullæ præterea memoriâ tenentur, nullæ typis vulgantur preces, ne oratio quidem Dominica in populo.

Energumeni.

Energumeni primùm virgis cæduntur, deinde chordis: postremò si apparcat malum non fingi, cum tota domo incenduntur.

Anti-

Antiquiori ætate, esus galli gallinacei prohibebatur; ideò, quòd more Bissurmanorù cõplures simul alat uxores. NICON Patriarcha, eius esum indulgit: sed leporis (quem cani consimilem & cognatum censuit) & columbi (Spiritum S. repræsentantis) carnibus interdixit.

Saccharum lacte conditum esse censuit, idcirco ieiuniorum diebus saccharo interdicitur.

Vxores tres successivè alere vivas, liberum est, sed hâc lege; ut si prima & secunda & tertia displicuerit, in Monasterium ablegentur. Quarta, lege & pœnis negatur.

Vxores

Moribundi & mortui.

Moribundi radant capillos, induunt habitum Monasticum: hinc per octo dies non adhibentur ægris medicamenta; afferendo, illos iam esse ex numero Angelorum.

Mortuis, ab Episcopis aut Parochis dantur literæ passus, his verbis inscriptæ: *Ego N. Metropolitæ Civitatis N. significo, quòd hic NN. vixerit inter nos ut verus Christianus; & quanquàm commiserit aliqua peccata; nihilominus Confessione expiatus, absolutionem, & Sacram Communionem*

accepit. *DEVM* reveritus debito modo, & eius Sanctos. Ieiunabat & orabat iuxta præscriptum, Me quoq; Confessarium suum coluit, qui eum absolvi à peccatis. Idcirco do ei hæc literas passus, demonstrandas S. Petro Apostolorū Principi, & aliis Sanctis, ut sine impedimento, permittatur intrare per portam Gloria. Huiusmodi literæ, digitis mortui inferuntur. Purgatorium negant, sed locum quendam detentionis assignant *Mytarstwo*.

Hæc de Religione Moschorum extrinseca sufficient. Internam, & quâ in re cum Romana dissideant, describant rerum Sacrarum periti.

CAPVT V.

Valida Moschorum expeditio & clades ad Czadnoviam, Biasiam, Czereiam

Anno
1660.

INfelix anni huius initium **CORVINO** dedit, inter nefastas numeranda, secunda Ianuarij dies: quâ scilicet, diuturno squalore carceris, innumerisq; afflicto ærumnis, extrema ferè incubuit ægritudo; oppressura profecto,

Etò, nisi in Virum incidisset, omnibus quæ ab
adversa Fortuna immitti solent, fortiorem. I-
cto Paralyfi, omnibusq; capto artubus, parum
abfuit, quin dies illa suprema vitæ extiterit.
Spectabat attonitus, subitanæ morbi gravita-
tem, adstans *Pristavus*. Sed ut de periculo
sui Captivi Cancellariam admoneret, (ne stati-
onem suam deseruisse iudicaretur) magis suo
tergøri, quàm Generalis Captivi vitæ metuens,
persuadere sibi non potuit. Ægrè nocte illâ in-
somnia, omnibus sollicitis peractâ, postridie,
nec simulatum, nec levem morbum manifestè
videns, *Mitostarscio* Supremo Statûs Ministro
defert, communem Captivum extremè pericli-
tari. Ingressurus viam universæ terræ, quie-
scebat; atq; iam supremas illum agentem cu-
ras, mæstus dolentium sociorum cætus circum-
stipabat, pressumq; corde dolorem parentali-
bus iam ferè lacrymis testati, redeundi in cha-
rissimam Patriam, & in avitam libertatem,
spes omnium, cum uno Duce extingui, quere-
bantur; cùm de adventu *Simeonis Stresznior*

Avun.

Nomine
Principis
salu-
tatur.

Avunculi Magni Principis nuntiatur: stitipatus honoratioribus sex Personis, domum & cubiculum ingreditur: levare lectulo, ad suam Legationem excipiendam, iubet. Cum se non posse levare diceret, surgere tamen oportere, aiebat Legatus: tandem ex vultu decumbentis, adstantiumq; mærore, cognitâ non vulgari ægritudine, ex mandato Magni Principis ac Domini &c. &c. Se advenisse effatus, Eiusdem Nomine, ut valeret? ut viveret? requisivit. Eius mensam mox adferendam, Medicum adhibendum, denuntiavit. Actis gratis pro Clementissima Salutatione, spirare Se adhuc DEO volente, respondit. Nec affligens moribundum importunis colloquiis, discessit. Adferuntur deinde longo ordine viginti quatuor patinæ, ex mensa Magni Principis, popularium usu & condimentis, ferculis liberaliter onustæ. Item duodecim vasa, diverso vino singula repleta, Hispanico, Gallico, Rhenano, Medone vario, acceto, cerevisiâ, â milite portantur. Omnium postremus, qui ardentissimè expectabatur, Medicus

eus *Andreas Engelbart*, è Prussia oriundus, in
 arte Medica apprime versatus, adducitur.
 Colloquium de statu valetudinis, præsentè In-
 terprete, & *Pristavo*, institutum. (Cremor
 tartari, movit eis suspicionem colloquij de Tar-
 taris) Medicamenta ex Pharmacopæo Ducali,
 omniaq; requisita liberaliter promissa, dataq; .
 Medicus per schedulas vocari, venireq; quoti-
 es oporteret, iussus. Ab hinc in cubiculo non
 Moschorum, sed familiarium Concaptivorum,
 perenni diu noctuq; insomni solitudine,
 CORVINO invigilabatur. Vnusquisq; Com-
 militoni, Duci, Concaptivo, Domino, insomnes
 continuisq; vigiliis ærumosas noctes perli-
 bens impendebat. Cuius unius fato, omnium
 in carcere foret extinguenda libertas. Affe-
 ctio paralytica, operâ Medici submota est; ni-
 hilominus maximè diuturnam, exituq; ferè letha-
 lem Scorbuticam luem contraxit, quæ quàmvis
 repetitis remediis domita videbatur, id tamen
 solatium, plerumq; decem aut quindecim die-
 rum spatium, terminabat.

Attri-

*Chowan
scij fraus*

Attritis distractisq; variò Polonorum & Lithuanorum viribus, necdum confectâ cum Suecis Olivenfi pace, *Chowan* infesto exercitu Lithuaniam invasit. Grodnâ, Lidâ, Slonimo, deditis, (quò magis securos redderet hostes) armistitium fancivit. Proximis diebus, profectus magnis itineribus, famam & vestigia castrorum sequens, ALEXANDRVM POLVBINSKI multis expeditionibus bellicis, Victoriisq; Clarissimum aggressus, validâ manu repressit, ac retrò Bugum egit: MICHAELM OBVCHOWICZ & ipsum armis insignem, superatum, & captum Moscuam misit: OGINS CIVS cû parva manu ad Krynki (dum vanâ sine viribus irâ, loco & armis diffiti pugnant,) pariter superatur. Vnâ celeritate & Copias Lithuanorum, recentis fæderis fide securas, cepit; & Brestiam, extemporaneis operibus vix dum munitam, iustoq; carentem præsidio, aggressus, apertâ vi occupavit. Oppido impositum præsidium, Civitas incensa, præda quâquâversus acta; villarum incendia, in profundâ

fundam Masoviam prolata. Tandem Exercitui reditus Borissoviam ac Minscum versus, (congressui Legatorum destinata Oppida) indictus, quò feliciorē pacem his successibus elata, conficeret Moschovia. Iam pridem gravi faucius curâ, Suæ Domui, Pupillisq; metuebat CORVINVS, ne præsentibus malis, ipsâ celeritate (quâ tunc omnia geri, præveniriq; Tractatus edictum est) involverentur. De serie rerum omnium, & quâ ratione, Sui evaserint periculum, clam edoctus, remisit sollicitudinem.

Schedulæ huiusmodi crebrius, immo indies à plurimis Amicorum, (quos aut communis calamitas, aut ius hospitij concessi, è Moschis, Germanis, Polonis, addictos fecerat) cæparum succo, aut citrorum scriptæ, illæ igni admotæ, hæ aquis immerfæ, aperiebant secretum. Porro quò secretiùs fraus occultaretur, aromata, sericum, papyrus emenda aut empta involvebatur, hæc ratione Moschis *Privatis* tot, ne suspicantibus quidem, isthïc ali-

*Chorani
sui Bre
stiam per
netrat.*

*Clandestini com
mercij
modi.*

Q

quid

*Natalis
Filij
M. Du-
cis, Si-
meonis.*

quid subesse fraudis, latoribus primùm pecuniã corruptis, publicè concredebantur perferendæ. Eâ tempestate Magna Moschoviæ Ducissa Filium SIMEONEM enixa est; qui postea magnæ fabulæ erit occasio, Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo quarto. Post solennem campanarum sonum, (nam hæ solæ omnis publici gaudij, Victoriarum, Festivitatum, sunt indices) invisit GOSIEVIVM Secretarius Camera Ducalis *Diamentius Baczmakow*; auream vestem, pileum è vulpe nigra præaltum indutus: *Magnum gaudium*, (cùm crederemus Nos libertati asserendos) *Magno Principi ac Dño &c. &c. Filium natum, denuntiavit.* Vetusissimus mos Gentis, Cubicularios Principis, ad Exercitus, Legatos, Proceres, Civitates etiam remotissimas, hoc gaudium (uti ipsi vocant) denuntiatuos, amandare; illic donari. Postridie Proceres, Neo-natæ Principum Soboli, affectus suos testaturi, magnifica pretio & splendore munera, ad conclave Principis ferunt, humaniterq; æquè ac liberaliter à Principe donan-

donantur. Cives, mercatores, tertiã die, su-
 am quoq; in oblatiis muneribus proponunt
 subiectionem; sed indonati recedunt. SIME-
 ON Princeps paulò post præproprie sublatus
 fatis, sequenti fabulæ dedit occasionem. Compa-
 ruit quidam in Vkraina iuvenis annorum ferè
 viginti, Nomen & Personam SIMEONIS u-
 surpans, asserensq; , pio dolo unius famuli se
 creptum crudelitati Novercæ, Procerumq; si-
 bi quidpiam imperiosum, de eius indole, eti-
 am in puero metuentium. Experti iam Moschi
 non sine gravi sua infelicitate, domesticisq;
 tumultibus, eiusmodi crevisse imposturas: qua-
 re ut malum in herba suffocarent, incompa-
 rabili sumptu effecerunt apud Kozacos, suos-
 met sequaces, ut personatus ille Princeps, Mo-
 scuam per eos deduceretur. Quò adductus, e-
 tiam manibus pedibusq; præcis, constan-
 tissimè usurpabat sibi Principatum: ac inter e-
 as affirmationes, capite truncatus, paloq; infi-
 xus est, vigesimâ septimâ Septēbris, Anno Mille-
 simo sexcentesimo septuagesimo quarto. Pro

*Eiusdē
obitus.*

*Impostor
quis?*

Q

docu-

documento referebat nonnulla arcana domestica Magni Principis; nec deerant in populo, qui illi suffragarentur. Sed *Artemon Serbeiewicz*, iam nunc Supremus Minister Statûs, cum fuisse oriundum Poltawâ Vkrainnicâ; in spem verò excitandorum tumultuum Moscuæ, (ad instar olim *Demetrij*) instructum fuisse hisce artibus â *Sienkone Razino* rebelli Astrachanico, retulit mihi; cum ibidem Nomine Serenissimi IOANNIS III Electi Regis Poloniae, agerem Ablegatum; denuntiando Eius felicem Electionem, & urgendo contra Turcas, armorum coniunctionem. Constans tamen nunc inter Moschos fama esse dicitur, eum genuinum fuisse Principem SIMEONEM. Sed de his non controverto.

Anno recurrente instabat Palmarû Dominica: quominus pompæ Sacrae spectator CORVINVS in publicum prodiret, recentiq; annuatim frueretur aurâ, continua affectio valetudini adversa, vetabat. Maior suberat metus, ne Moschico viso, Medicis (nam & alter, *Leo Lacesinius*

Dominica Palmarum.

Roma-

Romanus, superadditus) accessum interdicerent: nisi enim aliquis decumbat, infirmus non censetur. Vt verò MICHAELI OBV-
CHOWICZ recenter hospiti Captivo, cæterisq; Serenos Magni Principis oculos, intueri à longè liceret, per *Pristavos* facilè impetravit. Eâdem pompâ, quâ anno elapso Festivitas celebrata; nisi quòd Ducales equi duo Turcici, ante egressum è Castello, præsentarentur. Cæterùm peditum ac populi frequentiam longè præterito, hic annus inferior. Ad conspectum prodeuntis è Castello Principis, venerabūdi, more omnibus usitato, inclinavimus capita. In Castellum redeunte, deducti domum.

Quò celsius assurgeret, ante lapsum insolens fortuna *Chowan-* auctum esse viribus recenter, voluit Princeps: iterum enim quatuor suas Prætorianas Legiones; insuper *scius ob-* Generalem *Zmiow* è tractu Czerniechoviensi & *sione* Hólési in castra eius delegavit: quâ re & exercitū *cingit* ad maiora audenda, & eius animū excitavit. Ne *Laabori* *etc.* scig victoriæ ponere modū, cum rā nil sibi crederet

ret impervium, spe ingentis prædæ, Lachowicze SAPIEHANVM, Niefwiefz RADIVILIANVM, fortalitia; utrumq; egregiè munitum, aggredi & expugnare statuit. Admotis propiùs castris in Novogrodenfium Lithuanorum agrum, vicis & prædiis cladem, fortalitiis obfidionem intulit. Vtrobq; vallo deiectis Moschis, multisq; illatis cladibus hosti, egregiè propugnatum. Regij Legati per medios hostium cuneos, inter flammæ & cædes, Minscum pervenère. Moschovitici iam quidem Boriffoviæ constiterunt; verùm secundis successibus intractabiles, (& quòd reliquam infallibilem victoriam *Chovanfco* pollicerentur) Paschales ferias prætendentes, ad quindecim dies distraxerunt tractatum. Ac quò magis insolens eorum foret Legatio, Kozacos rebelles, in socios eius congressus, sibi adfciverunt. Dari insuper suo Principi titulos Albæ, Minoris, & totius Ruffiæ, ante Tractatum exigebant. Deniq; ne ab ipsis etiam Regiis Legatis (qui Iure Gentium Sancti sunt) violandis, absti-

*Insolentiarebus
secundis.*

abstinere decrevit, Moscuæ secreto consilio. Indignum id Polono Nomine (ut in re erat) videbatur, suos rebelles (cùm res geritur inter pares Solio) de quibus lis agebatur, parem secum capessere locum. Albæ, Minoris, totiusq; Ruffiæ; cuinam competerent tituli? vel præfenti Legatione, vel proximè instante bello concludendum. Hæc aliq; infinita protrahendo congressui, augendisq; per tot moras successibus *Chowanfcij* idonea, Moschorum Legati proponebant: *Chowanfcio* interea pacem artibus belli urgente. Sistere armorum cursum, accelerata pace fatagebat CORVINVS Moscuæ: sed adeò intumuerant Moschorum animi, ut non erubescerent, per *Pristavos* dare responsum: *nil Eum arma & pacem concernere, demptâ Legati & Ducis sorte.* Is demùm annus Rempublicam, longo adversùs Suecos bello, absolvit. Igitur detractis Moschoviæ, belli fociis, in Polonia & Lithuania tanto fervore & furore contra Moschos bellum apparatus, ut suprema Moschoviæ iam propè adesse

adesse fata, non vanis proclamaretur auguriis.
 Rex, indomita pœne insolentiâ *Chowanſcij* per-
 motus, PAVLVM SAPIEHAM Lithuanicarū,
 STEPHANVM CZARNECKI Polonicarum
 Copiarū Ductorē, cōtra elatū recētibus trophæ-
 is hostem, expedit. Ad Połonkâ Regij Duces
 castra locârunt; quibus *Chowanſcius* relicto in ca-
 stris quinq; millium peditatu, cum illo suorum
 numero, plenus non spei, sed Victoriæ, obvi-
 us processit. SAPIEHA & CZARNEC-
 CIVS, *non de libertate solūm agi, sed totam Polo-*
niam, Lithuaniam, Russiam, Victori prædam fore:
par periculum Victis instare; neq; ullum effugium pa-
tere, & supremo sublato auxilio, supremo Patri-
am exponi excidio, illumq; diem servitutis aterna ini-
tium fore, Militi proposuere. Deinde CZAR-
 NECCIVS omnes requisivit Copias, *num pro Pa-*
tria fortiter agere, aut tutiora sequi vellent? Cū
 omnes se morituros in acie profiterentur, e-
 quo & ipse descendit, & militem descendere
 iussit. Accensi non minùs in pugnam, quàm
 in Heroicam mortem stenuè subeundam (si ita
 adver

adversa Fortunæ alea definiret,) militares ani-
 mi, omnes primùm exemplo Ducum in genua ^{Chowan}
 provoluti; dictâq; oratione Dominicâ, alacres ^{ski profli-}
 pro Gloria DEI, arma expediverunt. DEO ^{gatur.}
 itaq; votis supplicum favente, acti hostium cu-
 nei, submotæ acies, effusus in fugam hostilis
 equitatus, peditatus in acie omnis deletus:
 Campi Marschalcus *Simen Sczerbaty* vivus in
 potestatem CZARNECCII devenit. Ipse
Chowanfcus desperatâ defensione, citato cursu
 castra sua vineasq; prætervectus, (peditatu so-
 lum in castris residuo monito, ut sibi consule-
 ret, quâ posset arte) plena omnis Fortunæ pu-
 blicæ privatæq; Victori reliquit, ipse pernici
 fugâ Polociam evasit.

Moschorum Legati, pacis belliq; *Chowanfcij* ^{Legato-}
 casus secuti, etiam fugam eius non deserentes, ^{rum præ-}
 abiectis omnibus impedimentis, in fugam si- ^{ceps fuga}
 milem sese coniecerunt, compendiosis itineri-
 bus Smolenscum delati, ibi primùm respirâ-
 runt. Moscuæ (ubi acceptæ cladis fama per-
 crebuit) trepidatum est. Magnus Princeps
 R pullâ

*Moscuæ
trepida-
tio.*

129

pullâ fasciâ caput præcinctus, eam cladem peracerbè se ferre testatus. Cuncti de salute Moscuæ metuebant quidem, sed interstitiis locorum freti, spem interea reparandi belli resumebant. Smolenfci Legatis vivere, ac si Polonica arma finibus imminerent, pacis media obiicere, ac depromere, iniunctum.

In publico suæ Reipublicæ luctu, Senatus Moschoviticus, CORVINVM de secundis Patriæ successibus lætari non permisit: idcirco adhibitis numerosioribus excubiis; mercatorû, opificû, omniûq; exterorû accessû, excubitorum etiâ sine socio ingressum, ad interiora, & clandestina colloquia, arcenda edixit. Literas à CYPRIANO BRZOSTOWSKI M. D. L. Referendario, & pro tunc Plenipotentiarario Legato, CORVINO scriptas, (quòd continerent, quadringentorum Nostrorum Cataphractorum Equitum vi, omnes perfractas, submotasq; Moschorum acies) Princeps à se discerptas, in proprium abdidit sinum. Infelicitate excubiarum ratio, vigilantiaq; magnum aliquid

liquid geri indicabat: res primùm inter addi-
ctiores Nobis vigiles, paucis explorata, de-
mùm per aliquot schedulas, plenè cognita.
Dolebat quidem CORVINVS, cã victoriã
solutum pacis Tractatum, à quo Sua depende-
bat libertas, nihilominùs privatam suam cala-
mitatem, Regis Sui Gloriæ, communi Patriæ
solatio, gratulabundus condonabat; præfertim
cùm perenni victoriarum cursu, (si Polonicæ
Copiæ Vrbi admoverentur) acceleratum iri
Suam liberationem, non desperaret. Ab
hinc tractabatur quasi civiliùs, nomenq; Le-
gati Ei passim in Vrbe tribuebatur: sed cùm
Procerum animi flagrarent, & recenti in Po-
lonos odio; & antiquo in CORVINVM,
(quia post Vilnam captam, *Hannibalem vin-*
cere prohibuit, ut nunc vinci posset) apud Prin-
cipem falsò accusatus, ex delatione *Alexij*
Trubecki, quasi per Urbem equitaret, arctiori-
bus militum excubiis demandatus Captivus.
Inquisitum seriò inter *Pristavos*; sed nil quo mē-
dacium confirmaretur, repertū. Porrò ne fortè

Gosierij
sensus in
ter hec.

Livius.

*Angu-
stia au-
gentur.*

suum errorem *Pristaroi*, militesq; mutuo consensu occultâssent, sed spe suâ celerius prævenirentur, intempestâ nocte Supremus Secretarius Camerae Ducalis, ex improvise veniens, excubias, & *Pristavorum* præsentiam scrutatus est. Hoc periculo suo moniti *Pristaroi*, ne unguem quidem à sua statione discedebant, certò aliàs poenam chordarum, more patrio, subituri. Authorem mendacij non aliter insectari licuit, nisi ut aliam crescendi materiam quæreret, si alienis criminibus apud Principem crescere placeret.

*Moschê
reparât
vires &
odiam.*

Iamq; Gens illa, nata reparandis, restaurandisq; bellis, è vastissimis illis Provinciis, coacto milite, replevit Exercitum; animumq; ad tentandum de integro bellum concepit. Hinc maius CORVINI augebatur in Vrbe odium; & rursus dempto Legati, Captivi inditum Nomen. Suscitaturus iterum belli incendium Magnus Princeps, Legatos Moscuam revocavit.

Basilius Borysowicz Szeremeth, in Collegas assumpsit, Ducem & Castellanum *Szerbaty*, Ducem
Gre-

Gregorium Kozłowski, & Ioannem Akinfiew: coa-
 ctisq; Copiis millium quinquaginta, expediti-
 onem suscepit Kioviā: adiungitur eidem in
 socium belli Georgius Chmielnicki (qui *Wybor-*
sko, unanimi Kozacorum Zaporozensium con-
 sensu, admodum inuenis suffectus, Moschorū
 partes tuebatur) cum innumerabili Kozacorum
 colluie: tantis copiis fatis validi, si simul in-
 cubuissent; Borysthenem transfretare, Wołyni-
 am opprimere, demū Cracoviam usq; pene-
 trare iussi. In subsidium in tractu Czerniecho-
 viensi, Generalis *Zmiow* cum quinque millibus
 constitutus.

*Validiss-
 ma Mo-
 sborum
 expeditio*

*Szer-
 met cum
 50000.*

*Zmiow
 5000.*

At parte aliā Smolenscum & Mohiloviam
 versus, cum quadraginta millibus *Dotgorukius*
 expeditus: lecti datiq; Collegæ duo: *Petrus Dot-*
goruki, Osip Sukin. Streszniow cum hisce Copiis
 præficiendus designaretur, æquè iussa Princi-
 pis, ac incertam belli fortunam metuens,
 corporis ægritudinem simulavit. *Chowanscius*
 nuperæ cladis, novo genere obsequij oblite-
 randæ cupidus, in tractu Polocensi restaura-

*Dotgoru
 ki 40000
 in albam
 Russiam
 producit.*

bat

Chowan
ski 12000

bat bellum.

Tot tantæq; Copiæ, è diversis diffitisq; partibus Polonum oppressuræ, invicem sibi opem ferre, vi ingruente iussæ. Consilio quanquam mirè perfecto, felix defuit eventus; nam discordes in Patria prædicti Duces, etiam in hostico minimè convenientes, animis secum, armis cum Hoste pugnabant. *Dolgorukius* ingenio violentus, obsequij impatiens, *Szeremethio* subesse volebat. *Chowan* sciens Genus suum nobilius *Dolgorukio*, deprædicabat: proinde eius regimen detrectabat. Is vicissim bellicam experientiam, longo ac felici armorum usu probatam, gloriam regimenq; Supremum sibi vendicabat. Sic demum, *cùm singuli pugnant, universi vincuntur*. Breviter res, Heroumq; gesta (quibus suum decus, posteritas & Annales, cuiq; pro merito rependent) attingam. Quavis fat superq; virium, apud Moschos provisum erat, nihilominus mobiles ad superstitionem mentes, populorū cladibus antea actis percussæ, malè ominari audiebantur. Crebris quoq; prodi-

Livius

Prodigia

prodigiis cognitum est, mutationem rerum in deterius portendi: nam teterrima exorta in Vrbe tempestas, redeuntem in mænia pediatum, in flumen egit. In carcere GOSIIVIANO, palos eadem vis ominosa prostravit. Velut prodigio territi, ruinam armato milite complent: trepidi ac semivestiti, ab Vrbe accurrunt *Pristavi*, num non arte Magicâ excitata fuerit tempestas? num non evolaverit suus Captivus? per rimas (ne nimum suspiciosi viderentur) inspiciunt. Crebriora insuper incendia, ac unum pyrij pulveris, magnâ hominum strage in Vrbe exortum, tantum valuerunt apud Gentem apprimè supersticiosam, ut ruinam Imperio, Exercitui excidium, palàm portenderet.

Dolgorukio, dñ armantur Copiæ, (moris est nõ per Generales conscribi Copias, sed iis conscriptis per Supremum Statûs Ministrum, præfici belli Duces) usq; Patrio, frequenti Senatu, bellicû Imperiû denuntiatur: ibidè solenni epulo à Principe excipitur: deducitur inde ab amicis

*Publica
expedi-
tio Do-
gorukij.*

eis domum. Postridie ad osculum Ducalis dex-
træ, publicè accedit. Valdicenti datur Tute-
laris Imago. Prætorianus interea miles, belli
comes, in arce vino adusto ingurgitatur. Post-
quàm â Principe data est potestas abeundi, ex-
cedunt Castello, Vrbeq; aulici, amici, familia-
res splendidi inter lituos; tum rhedâ Ducali
Tutelarîs Imago â Clero ad prima castra deve-
hitur. Iam ipsum Generalem tibicines, dein-
de equi, splendidissimis fellis instrati antece-
dunt. Demùm Generalis omnibus splendidior,
medius inter Collegas, & natalibus, famâq; in-
signes amicos (agmen claudente vili manci-
piorum servitio) profectus.

Omniùm primus *Szeremethius*, Kioviæ valido
relictò præsidio, movit castra; iamq; Vkrainam
emensus, Polonicis curribus ad Chmielnicum
post leve certamem potitur. Levi successu, æ-
quo insolentior, ac procacior factus, suo suo-
rumq; imminebat fato. Prævolabat interim
longo intervallo hostilia castra, nuntia immi-
nentium Polonæ Genti periculorum fama;
atque

atq; ut numeroſo æquè ac potenti hoſti, parè
opponerent manum, admonuit. Virtutem pro-
prijam alienis quoq; viribus ſuffulturi Poloni,
Publico conſenſu, Tartaros firmiſſimo fœdere
iam tunc per decennium Reipublicæ iunctos,
in huius belli ſocietatem vocandos, decernunt.

STANISLAVS POTOCKI Palatinus *Poloniæ*
Cracoviensis, & Supremus Exercituum Regni *vires cõ-*
Dux, GEORGIUS LVBOMIRSKI *tra Sze-*
Supremus Marſchalcus & Campi Dux Regni, *remethi-*
ad Tarnopoliam contractis Copiis, quindecim *um.*
ferè millium, moverunt. Adfuit haud inglori-
us auxiliator, numeroſo cinctus equitatu Tar-
tarico, *Nuradin Soltan*, Polonæ Reipublicæ, *Tartari*
belloq; Christiano ſuas vires impenfurus, dum *auxilia-*
Christianum ſanguinem, Moſchi ſine modo & *res.*
Chriſtianum ſanguinem, Moſchi ſine modo &
menſura indies profundunt ampliorem. Ad
Lubarum tandem heroicæ virtuti (cùm Mo-
ſchi numero, Polonus animo prævaleret) de-
ſignata arena, collata ſigna, nihilq; præter
continuas ſuorum cædes videbant Moſchi,
qui Supremum iam ferè ictum minabantur Po-
S loniæ

Prima
clades
Szereme
thij ad
Lubarum.

loniæ. Immani fuorum clade *Szeremethius* compulſus in caſtra, Kioviã retrogredi ſtatuit: ſed cùm Poloni & Tartari, publicas (quã ſpes effugii ſupererat) obſiderent vias, à tergo præciſis arboribus, per paludoſam cremum apertã ſibi viã, in Czudnovienſes campos ſibi fatales, effudit agmina; exitum belli renuens præſtolari, quem ſibi exitialem præſciverat. Caſtris itaq; egregiè munitis, imminentem hycem expectare placuit; donec brumalibus tempeſtatibus victi Poloni Tartariq;, ſolvere obſidionem cogèrentur. Sed ſuis artibus involutus *Szeremeth*: nam Polonogladio ereptos, tanta invaſit fames, ut iam equinis etiam carnibus non ſuppentibus, imbelli fato vitam in numeri planè terminare cogèrentur; aut anno-næ & falis penuriã extremè laborantes, paſſim intumefcendo tabeſcerent. Cædibus inſuper quotidianis, internisq; diſſidiis cum Koza-cis, adeo diminuebantur Copiæ, ut iam reſciſſione factã, partem Caſtrorum mediam, deſeruerint. Vna ſalus, avidiſſimè expectabatur, ſi

Szeremeth cum
Etus obſi-
dione.

Georgi-

Georgius Chmielnicki Kozacorum Generalissimus, suorum armorum coniunctione, ipse periturus, perituris opem adferret. Is *Słobodisce* vix attigerat, iam **LVBOMIRSCIANÆ** succumbens virtuti: bello impar, pacis ac subiectionis perpetuæ, à **LVBOMIRSCIO** accipit conditiones.

Ad *Czudnoviam* verò undiq; vigente & crescente ad supremam Victoriæ Gloriam studio fortissimorum Virorum, destitutus auxiliis, & consiliis *Szeremetbius*, pactus deditioem. Armis, signis, tormentis, omniq; apparatu dedito, se, omnes Collegas, ac totum suum, viginti quinq; millium adhuc residuum exercitum, (iam enim omnia sub manu Victoris erant) inaudito exemplo, Polonis obtulit in prædam. Tantam captivorum multitudinem, primùm aspernati Victores, (quia trucidare deditos, sævum; tot verò custodiâ cingere, arduum) tum armis ademptis, pro restitutione *Vkrainæ* Provinciæ, eos commutari poscebant; & *Moscho* promittebant.

Deniq; postquam Præsidarij *Kiovienses*, se Magni

Chmielnicki vixit & Lubomirso.

Szeremetbij deditio.

gni Moschoviæ Principis militiam sequi, Eiusque hac in re, non *Szeremethij* parere mandatis: multos Moscua esse *Szeremethios*, respondissent; belli iure, eos Tartaris in servitium concesserunt. Tam opulentus, publicus, privatorumq; apparatus, in deditionem acceptus est, ut tantæ Victoriæ gloriam exæquaret. Ipse Generalissimus *Szeremethius* in Tauricam deductus: mancipia illa tot dedita, Constantinopolim, à Tartaris venundata, maria ac terras Orientales impleverunt. *Szerbatius* apud **POTOCIVM**; reliqui duo apud **LVBOMIRSCIVM**, pleriq; apud alios diu Captivi, læti vixerunt; quòd incolumes forent, Patriæq; suæ reddendi, hostium beneficio. Ita seu malo, seu necessario facinore, diminuta viribus hostilis potentia: sociiq; belli Tartari retenti in officio. Non solum in Polonia, quam in ancipiti bellorum positam, expediebat fuisse Religiosam, sed Romæ quoq; Summi Pontificis iussu, per omnes Ecclesias, DEO Victoriarum Authori, supplicationes decretæ: appensa

penſa per Eccleſias trophæa, Triumphî acti.

Infelix tantâ clade *Szeremethius*, multò infelicior, è Taurica redux; longè poſt, per tumultum Moſcuæ interimendus.

Cæterùm pervenerat ad Magnum Moſchoviæ Principem, non fama ſolum, (plerumq; velocior) ſed Nuntii etiam, unus ex caſtris *Szeremethianis* profugus, acerrimæ obſidionis, mox alius deditiois, accurrere. Ad populum quidem, quàmvis fama factæ cladis ſupprimetur, nihilominùs mæſtum quoddam Aulæ ſilentium, lugubri bello finem iam impoſitum, & tacita divinationo imminentium malorum, præſagebatur. Tandem ubi infelix belli eventus cûctis innotuit, desperatio ſine ſpe aliunde reparandæ Victoriæ, ſubiit mentes. Omnium maximè CORVINVS eius nuntij eſſe inſcius deſiderabatur: aucti ſupra modum *Priſtavi*; opifices, mercatores, Medici adempti; cladem celari manifeſtè innuebant. Poſtero die edoctrura fabulam ſchedula, per quendam Moſchorum pileo præalto inſuta adfertur. Obtulit
inge-

*Moſcuæ
acta.*

ingenium Italus quidam è Noſtris: qui in præſentia Moſchorum, per iocum indutus tunicam primùm, mox pileum boni viri, à Moſchis riſu, à Noſtris fictis verberibus affectus, in aream domumq; interiorẽ profugit. Vbi de promptâ chartâ, è conclavi ad *Priſtatos* effuſè ridentes profugus, quæſitâ levitate à Noſtris cædebatur. Magna hæc & vix ſperata victoria, tantò ſublimiùs animum CORVINI in feſtivæ hilaritatis ſudum erexit, quantò profundius in mærorem & deſperationem, univerſam cū Principe Moſchoviã depreſſerat. Proinde inter hilares geſtientium Captivorum plauſus, Eucharifticasq; DEO Victoriarum Domino precatiões, Hymnus Divi Ambroſij decantatus. Victoriã hanc, Cynofuram Suxæ felicitatis, univerſi cum CORVINO Captivi, unicè prædicabant; cuius beneficio poſt decumanos calamitatum fluctus, poſt tot ærumnas, gravesq; corporis ægritudines exantlatas, toties naufraga ſalus, & ipſâ ſalute charior libertas, portum deſideratæ felicitatis attingere videbatur; cùm
 pro

pro unius Sui commutatione, pares quatuor, Moschorum Polonia Captivos teneret Generales; ex alia parte *Dolgorukius* Lithuanicis armis, in similem cædem urgeri nuntiaretur.

Ad Basiam annum PAVLVVS SAPIEHA, *Eodem mens: Dolgorukius ad Basiam profigitur.* & STEPHANVS CZARNECKI castra metati, avidè non tam hostem, quàm nobilem prædam, *Dolgorukium* scilicet cum Exercitu, præstolabantur. Summæ spei bellum ornaturus, Ducisq; sui vindicaturus Captivitatem GOSIEVIANVS Exercitus, Ductore MICHAEL PAC, Castrorum Generali Metatore, quatuor millium numero, selecti Equitatûs, in castra peruenit. Peditatus GOSIEVIANVS cum ZERONSCIO pro libertate Vilmæ, hostili præsidio vindicanda, decertabat. In campum Basiæ adiacentem; quem iam Polonus Lithuanusq; miles præoccupaverat, spe vanâ Victoriæ inflatus advolat *Dolgorukius*, prædasq; màlè speratas, non belli rationes expendens, citra spem & metum fit Præda. Primo enim congressu, dextra castrorum eius Ala â CZARNECCIO

NECCIO, sinistra à PACIO (frontem aciei tenente SAPIEHA) cum incredibili cæde, campis submotæ. Ipse *Dotgorukius* dimisso equo, inter peditatum se coniecit. Verùm neq; peditatus evasit excidij periculum, quàmvis obices in hunc usum è ligno adinventos, equiti obiecisset. Cladi *Szeremetbiana*, intra unam alteramve horam, similis facta fuisset *Dotgorukij* cædes, nisi, iam perfracto à Nostris peditatu, nox prælium & cædes diremisset. Festo tormentorum, lituorum, Hymniq; Sacri sono, in castris, DEO Victoriarum largitori, persolutæ gratiæ. Sed restabat adhuc pars magna belli *Dotgorukius*, & novus hostis *Chowanseius*. Victoriâ prosequi Polonis (dum viribus & animis hoste sunt Superiores) constitutum: sed *Chowanseius* parte aliâ, cum non contemnendis Copijs imminebat. Intempestâ igitur nocte, accensis ignibus, silenti agmine, castra Lithuanorum mota. Biduo *Dotgorukianus* miles castris prodire non ausus, quòd discessum Lithuanorum ignoraret; quo tandem cognito, festinatis itineri-

neribus Mohiloviam se recepit, illatamq; cum
 immani clade sibi, suoq; Exercitui ignominiam,
 commentitiâ velans iactantiâ, prælium fugâ
 Hostium terminatum, spargebat per populum
Chowanscius: interim tria millia selecti Equitis,
 Ductore *Toloczanow* Druckum præmisit. Hic
 cum primis Equitum excubiis non infeliciter
 congressus, Nostros in fugam agebat; cum ci-
 tra utriusq; spem superveniente C Z A R-
 N E C C I O, facilius, quàm sperabatur, cer-
 tamen erat: nam primus impetus formidato a-
 liâ prælio, initium finemq; fecit. Muniêrat qui-
 dem in omnes casus belli, sua castra *Chowan-*
scius ad Czereiam; sed dum nuntij cladis ê
 tâto suorû numero, paucissimi rediissent; castra,
 tormenta, currus, ac quidquid celeritatem fu-
 gæ retardare potuit, deseruit. Demùm â pro-
 sequente Victore, ac cædibus latè patentem vi-
 ciniam implente evasit.

Szkłovienses, exacto Moschorum præsidio
 liberi; interea â Kozacis & Moschis obsideban-
 tur. MICHAEL PAC opem & liberta-
 tem

Szkłow
ensis solu
ta obsidio

tem, non ita iam pertinaci obsidione cinctis attulit; *Dofgorukio* ne se movente quidem manibus Mohiloviæ, inde quinque; miliaribus disfitæ.

Inter tot clades, succursus Vilmensibus Moschis parabatur Duneburgi in Livonia. Dum se itineri accingunt, MICHAEL PAC famam sui præveniens, advolat Duneburgum; levibus primùm irritamentis elicit hostem, tandem cum hoste effundente Copias millium septē in glaciē, confligit, profligat, fractâq; glacie in flumen demergit. Fatalis profectò hic annus Marti Moschovitico erat: nullum Lithuanie, Russiæq; campum ingressus, quem non profuso vastissimè cruore, & feræ posteritati spectandis suorum cadaveribus consignaret. Quot milites in aciem producti, tot in eadem funebus parentatum; omnes quicunq; bello Martia olim dederunt Nomina, hoc anno fusi, victi, capti, submersi, deleti sunt; paucis profugis, paucis ipsâ morte graviorem Captivitatem subeuntibus. Truncata manibus, omnibusq; plañe

*Połniu-
sktow
profligatus ad
Dineburgum.*

nè viribus destitutâ Moschoviâ, adeò Moscuae
 trepidatum, ut bello se victos, non præliis; a- *Quanta*
 ctum esse de imperio Moschorum (si profre- *trepida-*
 cuturi forent Poloni, Lithuani, Tartari, Koza- *sio Mo-*
 ci, Victoriâ) non dissimulanter proclamare- *sensu.*
 tur. Res desperatæ, Principi Iaroslaviâ, aut
 Nizni Nowogrod ad ripas Wolgæ, apparabant
 regressum. Nullis in promptu Copiis, iam
 maturi autumnus, imminentisq; hyemis tempe-
 states pro præsidio habebantur. Firmatis ta-
 men glaciis, certò inde Poloni cum Tartari-
 s, hinc Lithuani sperabantur: direptioni non
 defuturi Succi metuebantur: Supremum Regno-
 rum exitum, populi Moschovitici rebellio, ob
 rem infeliciter gestam, ob bellum iniustè su-
 scepium administratumq; timebatur. C O R-
 V I N V S post innumeras Gentis utriusq; cla-
 des & funera, hoc unicum præstolabatur an-
 xius, *quâ tandem poneret arce, Regnorum Fortu Gofewiâ*
na caput? quis suæ calamitati exitus foret? sensus.
 clandestinis sermonibus discrebat. Fax men-
 tis honestæ gloria, Victoriosum illum & ad
 T₂ summa

summa natum animum adeò accendebat; ut levem carceris quietem, ipso carcere graviolem putaret, dum Patria in prælio periclitaretur.

Quanto flagrabant pectora voto,

Optatas audire tubas, campique cruenta

Tempestate frui, trunciq; immergere plantas.

Dolebat, quòd illud cruentū Bellonæ theatrū, magnorū eventū Actor ingredi non posset, in quo perenni Gloriæ cōmodissima spectacula antiquus ille Tragædus Mars, & Fortuna Campi Domina proponeret: fortiora tamen solatia è sinu Reip; præstolabatur. Publicam fortunam Patriæ gratulatus, Sibi, cum ea ipsa gloria, quæ parta est, vivendum atq; moriendum, (modò in Patria) exoptabat. At nec Moscuæ hoc rerū eventu ingloriā sibi posthâc stationē pollicebatur, cū Paternū olim Gubernationis Moschoviticæ decus, aut pacis conficiendæ opus, Sibi imminere speraret: etenim nō pauci Moschi, literas securitatis, clam ab eo exposcebant: has negantem, Nomen & insignia foribus præfigenda petebant. Magni Nominis in Moschovia Senator,

tor, clàm submisit schedam: quâ pecunie quantum vellet, se daturum pollicebatur: res Moschoviticas desperatas non obscure innuit: petiitq; ut sui esset memor. Se ad Polonorum adventum, spondebat effecturum Moscua deditioem. Vicissim CORVINVS illi apud Aulam Polonicam, Præfecturam alicuius Provinciae Moschovitica, efficere recordaretur.

Tot præliis in sua damna susceptis, ad mitiora consilia Aula Moschovitica compulsæ est. Nullam salutem bello, tot suorum funeribus edocta, spem totam vitæ in pace impetrata superesse, manifestè advertit. Pax optima rerum universis proclamatur: Pacis Legati ad nutum Principis expediti esse iubentur: CORVINVS in remedium præsentium malorum reservatur. Fruitur iterum famâ Sui, cum Nomen Legati, Captivo passim per Urbem tribuitur. Tum primùm (tanquàm id quoq; honoris daretur) non ut prudentem tantùm Virum, sed propè vatem omnium quæ recenter evenerunt, depradicant; authores belli incusant, quandoquidem

Quibus
mediis
obviatur.

Moscho-
rū sen-
tentiæ

tam

*tam diuturno bello, nil se præter infames clades qua-
 sisse agnoscunt. De rationibus pacis cum Po-
 lono & Scytha ineundis, deliberatum in Sena-
 tu. Restituendas Provincias Captivas, unanimi
 consensu, decernunt universi. Simeon Strefzaiom,
 (quem nuper detrectâsse bellicum imperium
 memini) Smolenscum belli Polonici prædam, etiam
 extremis Moscuæ malis retinendum, seu serîo, seu
 gratiæ Ducalis aucupandæ gratiâ, persuadebat.
 Princeps, contractâ in eum fronte, sceptroq;
 efferbuit. CORVINVM GOSIEWSKI,
 suo colloquio, solum admittendum destinave-
 rat: sed Procerum consiliis, colloquium dilatum
 sensim cum metu evanuit. Quâ de re PO-
 TOCCIVS uti antea præmonuerat, ita re-
 centioribus his interpellavit: *Nihil tam muta-
 tioni obnoxium, quàm Moschorum vitia. Ludi-
 cra sollicitis fervet Republica curis. Expertus &
 ipse POTOCIVS Moschorum sævitiam:
 nam ob profligatos hostes à suo Patruo ad
 Czudnoviam, in exilium pulsus est.**

*Gosiewi-
 us ad col-
 loquium
 M. Prin-
 cipis de-
 signatus.*

Post exhaustas Moschorum opes, post fra-
 ctas

etas undiq; vires, post calatas tot ingentes
 Victorias, unum id ad Polonæ felicitatis co-
 ronâ desiderabatur, ut quâ animorû consensione
 bellum in hostico gesserunt, eâdem, in viscere-
 ribus Patriæ, pacem colerent, & promoverent;
 tantâq; *Victoriâ uti scirent*: sed Exercitus præ-
 dam & præmia, quàm stipendia malebat. Dedu-
 ctus in Patriam miles, tot clarus victoriis, tot
 laureis insignis, atq; eò ferocior, villanisq; gra-
 vior; brevi, cum tenui Reipublicæ ærario se-
 riùs promuntur stipendia, Ducum exiit impe-
 rium. *Sacri nexûs* cognomen, impietati sum-
 ptum, *sceleriq; nefando nomen erat virtus*. Pri-
 mum professi Regi fidem & obsequium, Pa-
 triæ defensionem, Legibus æquitatem & iusti-
 tiam, cunctis dulcedinem publicæ securitatis,
 spem conservandæ, imò vindicandæ libertatis,
 spondebant. At ubi armorum ius in suis ma-
 nibus esse conspexerunt; Leges, quæ in pace
 latæ sunt, armati abrogârunt: Patriæ defensio
 in direptionem, Regalis Mensæ provisio, in lu-
 xum conversa militarem. Cæterum nil sacrum

*Reditur
 Polono-
 rum in
 Patriam*

*Seditio
 militum
 nunqua
 ta Sacri
 nexûs.*

*Sviato-
 blinny
 zwiqzek.*

profa

profanumve inviolatum permanfit: glifcebat
 diu non obfcure animis feditio. Convulfâ de-
 niq; æquitate, violatis iuribus, excrevit Civi-
 um cædes, & exitium Regnorum Civile bellû,
 civiliaq; odia in plures annos. Quibus duran-
 tibus Patriæ malis,

*Heu quantum potuit terræ pelagiq; parari,
 Hoc, quem Civiles hauserunt fanguine dextra.*

Quâprimùm Mofchi fuis cladibus fatisfa-
 ctum Polono, Victoremq; in Patriam redire
 acceperunt, tum demùm fupremam fe adeptos
 rati Victoriâ, (quòd imperium ab exitiofis
 belli facibus intactum fervâffent) alta fpira-
 re, ablatorum reftitutionem nec nominare,
 externo metu vacui, novas vires colligere cœ-
 perunt. Tantis cladibus, cùm pares referri
 non poffent, contra Captivos Polonos odia
 fumpferunt. CORVINVS non plùs di-
 gnitatis habiturus, nifi quòd unico perangufto
 cubiculo donandus foret, in publicum carce-
 rem à Proceribus deftinatus. Res cùm ad
 Principem delata efl; & mentes Procerum fu-
 bit

biit pudor, & mutua fors Captivis in Polonia
 subeunda, decreto Principis immutatum consi-
 lium. Edicto insuper cautum est, ne locus il-
 le, (uti cœperat) GOSIEVIANVS car-
 cer, appellaretur. Ad præscriptum Medico-
 rum, suppeditabantur ex Pharmacopolio Ducali
 omnia requisita: sed tanto tempore multa,
 variiq; generis vascula apportata congestaq;
 lædebant oculos *Pristavorum*, credentium uno
 haustu debere tot, tamq; varia exhauriri me-
 dicamenta. *Morbum simulari, medicamenta inta-*
cta componi, Medicos crebrius adire ægrum, nec
quid exoticis linguis colloquantur, à se intelligi, ad
 Cancellariam deferunt. Hinc Medici prædi-
 cti, aditu prohibiti. Demùm evidenter cre-
 scente morbo, aliquis Medicus Moschus, (què
 medendi peritum, ob egregiè multis ægris na-
 vatam operam, inter stabuli Ducalis mini-
 stros viliores connumeratum esse, *Pristavi* fe-
 rebant) ab iisdem *Pristavis* recommendatur.
 Abnuenti Medicum, eius peritiam, Medicamē-
 ta (nam aniles quoq; eius superstitiones, ali-
 asq;

*Medici
 adempti.*

afq; nugas referebant) datus *Samuel N.* recenter ex Anglia, per mercatores Moscuæ degentes, evocatus. Hoc curatore, *Athanasius Nasczokin* transfretari fecit **GOSIEVIO** medicamenta, Venetiis apud clarissimos Medicos conquisita. Convocati omnes ad Cancellariam Medici, fractisq; sigillis indagare iussi, *verane medicamenta, an quidpiam aliud (veneficia scilicet) includerentur?* Medicamenta, probantibus Medicis, integrè transmissa. Increbescente famâ de Generalibus Regni Poloniae Comitibus, *Varfaviæ* instituendis, *Zamiatntow* Ablegatus in Poloniam expeditus. Eodem anno, ad Aulam Polonicam Galliae Regis Legatus Ordinarius *Antonius de la Fmbres*, interpositione sui Principalis, acturus de componendis inter belligerantia Regna odiis, scripsit *Nasczokino* literas; quibus mediationis operam offerebat. Sed *Nasczokinus* ne responso quidem, Gallum est dignatus.

Ablegatus in Poloniam.

Gallia mediatione conempta.

Quandoquidem permultis videri potest, res fidem excedere, Moschorum Principatum, post inau-

inauditas hoc ævo clades, intratres plerùmq; *Status*
 menses collegisse numerosos exercitus: sub- *Moscho-*
 iungenda videtur brevis informatio de poten- *vie.*
 tia, amplitudine, Gubernatione, & ratione
 conscribendarum Copiarum in Moschovia.

Quando Australis & Septemtrionalis Russia,
 omnesq; illi Ducatus, (qui nunc in Vniver-
 sali Regni Poloniæ, Magni Ducatûs Lithua-
 niæ & Magni Ducatûs Moschoviæ compage
 includuntur) Supremo Kioviæ parebant Prin-
 cipi; Moscuam quoq; tunc obscuram, Kiovi-
 enses Principes subditam habuêre. Postquam
 verò *Svatoflaus* Kioviæ Monarcha â G E D I-
 M I N O M. Lith: Duce, exutus Imperio est,
 Branscum in Severia, inde Wolodimiriam pro-
 fugus, latè se regnare credebat, dum vixit se-
 curus. Inde per successores, Regia Moscuam
 traßlata, affinitatibus auctæ opes, dotalesq; ad- *Orig.*
 iuncti Ducatus: nihilominùs graviorem, quàm
 sub Lithuanis nacti sunt servitutum, quia Tar-
 taris parere, tributaq; ferre cogebantur. I-
 WAN WASILEWICZ Moschoviæ Dux
 V₂ liber-

*Vastitas
imperij.*

libertatem restituit, Tartaros oppressit, subjugatis Kazaniæ, Astrachaniæ, Sibiriaë, Plefcoviæ, Novagardiæ, Rezaniæ Regnis, opes & Imperium ad eam amplitudinem, quam nunc videmus, evexit. Quod tam latè extendi, quantum occupant Poloniæ, Germaniæ, Galliæ Regna, simul sumpta, non absimile est. Adeò vastum Imperium, Moscua quidem (uti naturâ insolentior) à Magno Principe regitur, inhabitaturque: cæteræ Provinciæ per *Woiewodas* (hi biennio exercent Gubernationem) administrantur. Per hos, quicquid Nomine Principis edicatur, mirâ promptitudine, imò crudeli obsequio paretur edictis.

*Prin-
ceps ab-
solutus.*

Moscuaë Monarchicum Imperium est: pacis & belli, vitæ & mortis; Legum & regiminis potestas, penes Principem est. Consilia instituuntur quidem in Senatu; sed in his magis de modo rerum gerendarum adinveniendò, quàm (exempli causâ) de suscipiendò bello, ad mentem Principis consulitur. Non Republicam, non Nobilitatem, non populum, non

Civita-

Civitates liberas, ad consilium isthuc advocari reperies, sed sufficit promulgatio edicti. Bellum si cum potente aliquo hoste, eventu anceps, sit suscipiendum; consulitur populus in foro publicè ex suggestu, (*Lobne* dicitur) ut in casu cladis acceptæ, culpa belli suscepti sit omnibus communis.

Senatorum ac Consiliariorum numerus, est ad placitum Principis. Communiter autem sunt *Dumnye Boiary* triginta. *Okolniczye* viginti quatuor. *Dumnye Diwaranie* sex, *Dumnye Diaki* tres. Ab his omnia publica negotia, in diversis Cancellariis administrantur.

Sunt autem Cancellariæ triginta quatuor: *Przykazy* nuncupantur.

Prima. *Taynyeh dzieł Przykaz*: estq; Cancellaria Principis Camerae, in qua secretissima quæq; excipiuntur & expediuntur negotia.

Secunda. *Pofolskoy Prykaz*; est Cancellaria, in qua omnia publica Legationum, fæderum, literarum, ad Externos expediuntur, & excipiuntur scripta, & colloquia Legatorum,

Tertia

Tertia. *Rozradnoy Prykaz*: Cancellaria bellica. Huc spectant expensæ belli, Copiæ, Captivi, &c.

Quarta. *Pomiestnoy Prykaz*. Cancellaria distributivæ iustitiæ; in qua distribuuntur ac conferuntur Privilegia, determinantur lites circa feuda.

Quinta. *Kazanskoy Prykaz*. Sexta. *Sibirskoy Prykaz*. In his Cancellariis tractantur ea, quæ spectant ad prædicta Regna. Insuper hic describuntur rationes fisci, & pellium ex Sibiria advectarum.

Septima. *Dvorowoy Prykaz*. Cancellaria mense Ducalis, quæ cellarij, & equorum provisionem concernit. Huc spectat Legatorum provisio.

Octava. *Innozemskoy Prykaz*. Cancellaria omnium causarum, quæ concernunt externos, Moscuae degentes.

Nona. *Ryarskoy Prykaz*. Hic administratur Iustitia, promuntur stipendia equitatu, pro anno, triginta *Rubelli*: (nomen est monetæ) qui
con-

conficiunt imperiales quinquaginta.

Decima. *Bolszobo Prychodu Prykaz.* Hic teliorum ratio, pretium panis, ac vini instituitur. Hic solvuntur stipendia Officialibus.

Vndecima. *Sudnoy Wołodymirskoy Prykaz.* Procerum & vetustissimorum familiarium, forum competens.

Duodecima. *Sudnoy Moskovskoy Prykaz.* Nobilitatis Moscuanae forum.

Decima tertia. *Rozbojnoy Prykaz.* Forum in causis furti, latrociniorum. Vbi inquiritur per adhibitionem tormentorum: deniq; supplicij pœna irrogatur.

Decima quarta. *Puszkariskoy Prykaz.* Huc spectant tormentorum & campanarum fusores: & omnes ii, quicunq; spectant Pacis & belli tempore ad *Artiglieriam.*

Decima quinta. *Iemskoy Prykaz.* Huc spectant omnes vectores publici.

Decima sexta. *Czolobitnoy Prykaz.* Huc spectant omnes supplices libelli.

Decima septima. *Ziemsckoy Prykaz.* Forum omnium

mnium civium & mercatorum Urbis Moscuæ. Hæc Cancellaria exercet jus, in omnes domos & fundos, quicunq; emuntur & venduntur intra Civitatem. Hic annum tributum persolvitur, concernens pontes, muros, portas, fortificationem Urbis.

Decima octava. *Chołopskoy Prykaz.* Hic describuntur contractus, atque in publica acta transferuntur, illorum, qui sponte vendunt aliis sua mancipia: vel qui testamento suorum Dominorum emancipati, alicui alteri mancipantur.

Decima nona. *Bolszoy Kazni Prykaz.* Hic conservantur telæ Persicæ, velamina, Sericum &c. aliæq; similes merces, quas consuevit Magnus Princeps, præmii loco, pro re, vel in bello, vel in Legatione benè gesta cõferre. Ibidem in fornibus subterraneis conservatur incomparabilis thesaurus.

Vigesima. *Kazenny Prykaz.* Forum Moschoviæ mercatorum.

Vigesima prima. *Monastyrski Prykaz.* Cancellaria

laria Monasteriorum.

Vigesima secunda. *Kamennoy Prykaz.* Cancellaria Architectonica.

Vigesima tertia. *Nowogrodzkaia Czetwert.* Cancellaria, ac depositorium auri, quod apportatur è magna Nowagardia, & Nizni Nowogrod.

Vigesima quarta. *Galickoy Prykaz.* Cancellaria, & depositorium tributi Provinciæ Galicensis.

Vigesima quinta. *Nowaia Czetwert.* Hic persolvitur tributum ex omnibus publicis tabernis. Ibidem iudicantur & castigantur aut poenâ lucri, aut chordarum, aut postremò exilij, illi, qui clandestinè vendunt tabacam & vinū adustū.

Vigesima sexta. *Kostromskoy Prykaz.* Cancellaria, & depositorium tributi Kostromensis, Iarostaviensis, adiacentiumq; Provinciarum.

Vigesima septima. *Vstingskoy Prykaz.* Cancellaria, & depositorium tributi Vstiugiensis, Kolmogorodensis, & adiacentium.

Vigesima octava. *Zolotnoy Almaznoy Prykaz.* Cancellaria auri, argenti, gemmarum opificum.

W

Vigesi-

Vigesima nona. *Oruznoy Prykaz.* Hic conferantur omnia arma Ducalis personæ: omnia itē ornamenta equorum. Item armamentarium publicum. Habetur etiam hic Cancellaria omnium Officialium, qui prædictis præfunt ornamentis.

Trigesima. *Aptekarskoy Prykaz.* Pharmacopolium Magni Principis. Hic obligantur unoquoq; die Medici, Chirurgi, &c. comparere. Iurant Medici super non adhibenda theriaca, idcò, quòd ex serpentibus & viperis eam confici inaudiverint.

Trigesima prima. *Denizny Prykaz.* Cancellaria, & iudicium omnium, qui spectant ad ius eudendæ monctæ. Illis verò, qui clanculum eam eudunt, plumbum liquefactum in os infunditur.

Trigesima secunda. *Tamaznoy Prykaz.* Hic notantur omnes merces: finito verò anno, is qui præest, reddit teloniorum omnium rationē in *Bolszoy Prykaz.*

Trigesima tertia. *Zborow desiatny Prykaz.* Huc spectat

ſpectant decimæ, ſeu tributum in uſum belli
conceſſum.

Trigeſima quartâ. *Małoy Ruſi Prykaz.* Can-
cellaria Vkrainæ Provinciæ.

Trigeſima quinta. *Zyſknoy Prykaz.* Hûc ſpe-
ctant cauſæ illæ, quæ prædictarum nullam
concernere videntur.

Singulæ prædictæ Cancellariæ, gubernantur
â ſingulis *Boiariis*, qui unoquoq; die obligantur
in ſua Cancellaria, cum propriis ejus loci Se-
cretariis, ſedere pro Tribunali, uſq; ad meri-
diem.

Præterea Patriarchales Cancellariæ ſunt tres.

Prima. *Rozrad.* Archivum omnium bono-
rum Eccleſiaſticorum.

Secunda. *Gubnoy Prykaz.* Tribunal Patriar-
chale.

Tertia. *Kazenny Prykaz,* Theſaurus & redi-
tus Patriarchales.

Leges nullæ habebantur ſcriptæ: idcirco
Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo
tertio, ex mandato Magni Principis, pruden-

*Leges
quando
conditæ.*

tissimi quiq; habito congressu, scripserunt, approbataq; nonnulla decreta typis vulgârunt. Titulus libri talis: *Sobornye wlasenia*, id est Comitialia decreta. Iuxta quæ, hodie omnes causæ iudicantur & decernuntur Nomine Principis, absq; ulla appellatione & contradictione.

*Nervus
belli un-
de?*

Bellum ubi decretum est, titulo donationis, non tributi, indicitur tributum. Deinde edicitur, ut unusquisq; ex bonis suis, decimum v. g. publico obsequio sistat villanum. His præficiuntur Officiales Germani, Angli, Scoti, Sueci, qui

*Pedites
tus?*

ibidem merent stipendia. Prætereâ Clerus ac Monachi iuxta proportionem bonorum; peditû & equitû expediunt ad triginta millia. Ac in his villanis expediendis, Moscuanq; adducendis, minima mora (etiam iusta ex causâ) severissimè castigatur. In tanta verò vastitate Imperii, (quòd quidam falsò, esse vastissimas solitudines, asseverant) mirum dictu, quàm brevi tempore, & quàm numerosæ congregantur Copiæ.

Strelog

Insuper Magnus Princeps alit in Vrbe Prætorianum peditatum Legionum viginti. Vo-

cantur

cantur *Prykazy Stroleckie*. Quæ legiones efficiunt ad minimum sedecim millia, & amplius. Illis stipendia rariùs, his verò Prætorianis, mensibus singulis sex numerantur *Rubelli*, pro anno verò duodecim, id est viginti imperiales. Hic peditatus constat ex folis Moschis; sunt enim Personæ & Residentiæ Ducalis custodes. Filios Principis se appellant; excubant unoquoq; die mille, egregiè vestiti.

Prætorianus peditatus.

In aliis quàm plurimis Oppidis & Castellis, etiam Moscuæ vicinis, aluntur præsidia iuxta exigentiam. Omnia in genere Castella præsidialia numerantur ter mille. Ex his, cum opus est, ad repentinos casus, deducitur peditatus; succedente illuc novo præsidio, ex rudiori milite.

Præsidia.

Equitatus conscribendi hæc ratio est.

Primò. Nobilitas omnis, (uti multis retro annis, & millesimo sexcentesimo quinquagesimo quarto, quinto, sexto, practicatum est, quando Princeps in Persona bellum gessit) vel, si levior expeditio est, certarum Provinciaram, edi-

Equitatus conscribendi ratio.

cto Magni Principis ad arma compellitur; singulis auxiliari stipendio, sex aut decem aureorum, ex ærario Principis plerumq; numerato.

Secundó. Præter Nobilitatem, ingentem vim equitum, exotico more stipendiariam instruxit modernus Princeps.

Tertió. Proceres ex suis mancipiis (quæ numerosa alunt) sextum aut quintum, equo & armis instructos expediunt.

Quartó. Deniq; extremis malis suæ Patriæ, Anno millesimo sexcentesimo decimo tertio à Polonis subacti, hunc conscribendi militis modum invenerunt. Omnibus mancipiis (si ex voto navassent operã, si Polonos exuissent Moschovitico dominatu) libertas servitio potior, ac cum suis Dominis coæquatio promulgata est. Tantaq; vis ejus edicti erat, ut illi exilis fortunæ milites, nudi aggressi Kitaygradum, Polonos inde excedere cõegerint.

His modis Copiæ ducentorũ millium equitũ, peditum centũ milliũ coactæ. Vno eodemque anno, diversissimis locis, contra Polonos, Lithua-

nos,

nos, Suecos, Tartaros, Kozacos, Kolmykos, hocq; iam altero decennio, memorabile gestum bellum. Hisq; deletis, alios exercitus objecit Moschovia, simili modo conscriptos.

Equorum ferax quidem regio est, nihilominus pro commoditate publica & privata, singulis annis in Augusto, à Tartaris Kazanensibus, Astrachanensibus, Nahaiensibus, Czerkafis Czeremissis, Kalmykis, in maximo numero adducebantur venales equi. Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo primo, triginta sex millia equorum venalium, in campis Moscuae subiacentibus, numerata. Munera Tartaris à Magno Principe data, utq; sequentibus annis numerosiores adessent, præmoniti. Nundinæ hæ *Tabun* dicuntur.

Apparatum *Artiglieria*, (qualis nonnisi viatorum, aut potentiâ Turcicâ ad bella produci solet) breviter attingam. Ad oppugnandam Vilnam, Rigamq; viginti Canones & Colubrini immensi magnitudine, librarum nonaginta sex capaces: triginta Canones librarum quadra-

*Equorū
ingens
Copia.*

*Tabun.
Artigli
eria.*

quadraginta octo: præterea librarum viginti quatuor, numero centum quinquaginta: item Campestrium tormentorum, vim incomparabilem, Magnus Princeps ex Moschovia secum adduxit. *Czerkascius* Suus Generalissimus ad oppugnandam Szkloviam, centum septuaginta tormenta adduxit Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto. Pulveris pyrij globorumque, semper par devehitur copia. Rigam censentur iniecti esse globi pulvere onusti quinque millia. Anno verò millesimo sexcentesimo nonagesimo, *Basilius Galiczyn* in Tauricam Chersonesum profectus, numero mille machinas bellicas circumduxit, præter innumerabilem vim pedum equitumque.

Fidem excedit narratio, quantæ opes Magni Principis in castra devehuntur. Præter supellectilem, certum est vehi maximam copiam victualium, piscium, farinæ, salis, vini, omnis quidem generis, maximè verò adusti, quo ante assaultum plebs militaris ingurgitari solet. Militi stipendia; Proceribus, Aulicis, Dapiferis,
 Colo-

Colonellis, ac omnibus his ad aulicum obsequium spectantibus, eodem more in castris, victualia & potabilia administrantur, quo Moscuae degente Principe. Notandum, Moscuae unoquoque die ex culina Magni Principis, expediri quatuor millia patinarum in usum Procerum, Officialium, Legatorum, Captivorum &c. Quantae vero deportabantur pelles, pannus, sericum, pecunia, Imagines sacrae, caeteraeque opes, longum esset enarrare singula.

Modus alendi peditatum.

Castra in casum cladis terna locant. Pro peditatu alendo in hostico, unusquisque eques tenetur tot mensuras siliginis contribuere ex praeda pro mense, quot alit mancipia.

Pro alendis praefidiis ex toto Imperio collecta pecunia & annona, deportabatur Smolenscum, Polociam, Mohiloviam, Vilnam, praefidiariis firmissimum adversus famem praesidium. Sola Astrachania pro triginta annis (quamvis putridam aliquando) conservat annonam.

Caeterum equitatu minus valent; peditatu potentiores, in praefidiis insuperabiles. Gubernatione

*Deditio
probrum
Familie*

bernatores ob dedita Castella, capitis pœnam subibant. Anno millesimo sexcentesimo decimo tertio, *Michaël Buturlin*, extremâ coactus fame, deditioem pactus; ob id Moscuaë choridis cæsus, ne exstaret impunitum deditioem exemplum. Ingens probrum totius Familiae, & perpetuum est, quemquam ê suis deditioem Castelli alicuius fecisse. *Theodorus Wolkonski*, vi fæderum, & mandato expresso Magni Ducis, ad deditioem Bialæ adigi non poterat, sed se ab Officio amoveri, aliumq; sibi substitui, per quem deditio fieret, postulavit: ne deditioem labes suæ domui unquam irrogaretur.

*Duces
belli.*

Duces belli plerumq; timidi. Victoris gloria, tota Magni Ducis est: cladis illatæ culpam, militiae Duces sæpe immeritâ pœnâ exolvunt. *Ita nimirum Manibus militum, sanguine litatur Ducum;* ita tumultus in populo contra Principem & Procères, ob rem improspere gestam, ob bellum susceptum, ob amissos consanguineos, evitatur. Anno millesimo sexcentesimo trigesimo

fimo secundo, *Michaël Schein* à VLADISLAO IV. victus ad Smolenscum, omnia Victoris Fortunæ subjecit: ob id Moscuam redux, capite truncatus. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto *Boratynscius* Dux, ob non latas suppetias *Vrussorio*, virgis cæsus, ante gradus Ducalis Palatij. *Vrussorius*, quòd minùs prosperè ad Brestiam decertâisset, actus in exilium, *Szeremethius* ob sui, Copiarumq; deditio- nem, nonnisi post annos circiter viginti redemptus. Complura alia exempla in Annalibus eorum reperiuntur.

Populus usq; ad servitutem durè tractatur; adeò ut illi, qui ab hero cæditur, capitis tuendi causâ, non liceat manum opponere. Sorte vivendi vili contenti, delectantur plurimum potu vini adusti; & quidem simplicis: ut meritò unus ex comitatu Legatorû *Halfaticorû*, *Moschis* obnixè petentibus ut illud biberent, subridens responderit: *addatur parùm sulfuris,*
 & fiet potus infernalis.

Iustitia usq; ad superstitionem colitur rigi-
 dissimè

diffimè, æquè in homines ac animantia. Campana, catus, & equus (quòd hic Legatù Angliæ excusserit fessorem) chordis cæsi, ac pro pleniore satisfatione, ex decreto Procerum, (non tam caritate Legati, quàm ficto officio) exules amandati.

Opes.

Gazophylacium Principum, sic describit *Guaguinus ex Paulo Palczowski*. *Oculis nostris vidimus* (Anno scilicet millesimo sexcentesimo nono) *ingentes acervos auri & argenti: tinas argenteas; duodecim Apostolos aureos, opus solidum: icones, diademata, sceptrà, sedilia, maiestates. Demetrius epulas instruxit Palatino Sendomiriensi, super aureâ supellectili copiosissimâ. Eâdè ipsâ horâ Legatis Regis Poloniæ, centum quadraginta patinis aureis, epulas deportari fecit. Prætereà adhibita vasa omnia aurea, quibus Proceres, Magnates, Aulici, Equites Poloni & Moschi tractabantur. Quâdam die, pro convivio Ducissæ MARINÆ MNISZKOWNA, sexcentæ aureæ patinæ allatæ ex Thesauro, ad simplex mandatum Archy-*
magy

magyri. *Herbersteinius* Legatus MAXIMILIANI Imperatoris scribit, se, prater aliam gazam, vidisse diadema, cui nec Imperatoris Romani, nec Regum Hispania, Vngaria, Gallia (que omnia vidit) equiparari posset.

C A P V T VI.

Ingressus Legatorum Cesareorum Moscuam; ubi Moschorum splendor describitur. Praecautiones GOSIEVII in Patriam missæ. Acta in Comitibus Regni, super electione vivente adhuc Rege instituenda, & super libertate GOSIEVII.

Moschorum Generalissimi, & Zmirovius, (quem maximi belli, eundem & cladis confortem fuisse compertum est) armis, copiis, libertate, multati; hic insuper vitam: nam dum Homliam in tractu Czerniechoviensi obsidet, a villano inter rudera delitescere, glande traicitur. Cumque ita, quasi uno ictu omnes Moschorum Generales sublati sunt, solus *Dolgorukius* omnium Collegarum interitu felix, ob reliquias exercitus Moscuam reductas, elatior per ora vulgi ferebatur. Post
ejus

Anno
1661.

Zmirov
occiditur

Mobilis
via Moschi
sibi exit
si.

ejus discessum Mohilovienses, per seditionem exciso Moschovitico præsidio, patefactis mœnib9 Regias Aquilas in viscera Civitatis susceperunt, nullum tamen acceptârunt præsidium: sed esse se, velle, & fore in posterum liberos, eoq; ipso felices, polliciti.

*Musica
usus abo-
litus
Moschovæ
1658.*

Inter publicos suæ Patriæ applausus, lætus malis suis **CORVINVS**, hilariùs quàm retrò ferias Bacchanales fociis apparari iussit. Tunc primùm chorda musica, rudi artificio, magis ad repetendas veteres hilaritates, quàm ad novam excitandam, elaborata ibidem, adhibita est. Præsenti bello, ingens numerus fidicinum commigraverat in Moschoviam. Res exotica & illicita visa est Patriarchæ: proindè unâ eâdemq; horâ, in tota Vrbe, â licitoribus confracta omnia instrumenta, curribus sex extra flumē Mosquam exportata, in publico foro concremari fecit. Idem evenit moribus cultissimo Principi, *NIKITÆ ROMANO* Patrueli Principis: quo absente, perfractæ fores, omniaq; peregrina palatij ornamenta cōyulsa, asportata, exusta

exusta. *Dolgorukius* solus, ex omnibus, suis meritis & naturâ insolentior, Patriarchales lictores, domo suâ ejecit, dictitans: *se solius Magni Principis edictis vitam & sanguinem debere: imperium verò Patriarchale intra Aras & Clerum concludi; ad Procerum domos minimè extendi.* In Ecclesiis quoq; præter insulsos cantores, nulla audiveris musica instrumenta: ad mentionem organi apud Psalmistam, aiunt: *linguâ & guttur hoc nomine nuncupari.* Suspecta Moschis, ac iam conscia tot cladum, videbatur Nostra hilaritas: dum itaq; sensimus velle *Pristavos* ex hilarioribus hæc & illa sciscitari, de industria commixto simul, per medietatem vino Hispanico cum adusto, omnium primos sciscitatores obruimus: liberaliùs inde comessati, instituebamus colloquia.

Vigesimâ primâ Martij, noctu ingens incendium exortum in Castello, granarium & officinas Palatio adjacentes, absumpsit. Vidisses multâ in Principem adulatione, *Dolgorukium*, compluresq; alios in sua Patria nobilitate insignes

Incendium in Castello.

fignes, scandere tecta, illaq; securibus evertere ac medias ædes præscindere. Orto incendio, Castellum ob metum seditionis, incendio quovis graviorem, oclusum: nec opprimendo igni quispiam alius, præter præsidarium peditatum, intromissus. *Necesse est multos timeat, quem multi timent.*

Seneca

*Dominica
ca Palmarum.*

Repetita Dominica Palmarum solitâ pompâ; præterquàm quòd florentissimus ille peditatus diminutus, squalidus, longèq; impar illi, antea-ctorum annorum, sub signis appareret. Princeps per *Artemium Serbeiewicz*, GOSIEVIO super tectum constituto, ut antea-ctis annis, transmisit salutem.

*Præcau-
tiones in
Patriam
missæ.*

Nicolaum Schultyn, curâ suorum amicorum eliberandum, clam intelleximus: idcirco & ipse optimè informatus, schedulas in Patriam deportandas, inclusas libello, à CORVINO accepit, in quibus sequentia continebantur.

Post tot clades Moschis illatas, vim & imperium victis dedistis, dum exercitus vestri hostico abstinerunt: non pridem desperati, iam nunc altos gerunt

gerunt animos. Ablatarum Provinciarum restitutio post tot clades conclusa, iam nunc negatur.

Facilitatem Vestram in dimittendis captivis sue gentis, dum vident, facili negotio residuos sperant eliberandos: ipsimet in enecandis nostris obstinantur. Pertinaciter itaq; pro singulis captivis, singuli petendi & concedendi.

Nullis Moschorum promissis credite: nam omnia in elusionem & fraudem promittunt, non præstituri promissis fidem.

Quandoquidem impossibiles proponunt conditiones; obiiciendæ impossibiles.

Ablegatis, de iure bona provisio competit: circumspectio verò ingens requiritur: nam vel explorandi gratiâ, vel temporis æstivi distrabendi, ad Vos mittuntur. Eosdem expediri absq; morâ, opto: plurima namq; arcaniora, è Patria nostra pleriq; Ablegati attulerunt.

Proditores quoq; in Patria complures habetis, qui intima consilia Vestra, & vires descriptas, huc transmiserunt,

Hic pacem non intendunt. Tractatus ideó pro-

mittunt, ut astatem spe pacis distrabant: hyeme & Vos & Tartaros redituros in Patriam, Kozacos verò ad se pertrahendos, sperant. Ex Anglia mercenarium militem prestolantur. Prævenienda omnia, & quàm celerrimè suppressenda.

Captivi totam Sibiriam, olim desertam, incolunt; nullatenus restituendi, nisi bello cogantur.

Quàm diu bellum non transferetis in hosticum, aut nullam, aut cum maximo Vestro detrimento, pacem sperate.

*Liberali-
tas Ma-
gni Du-
cis.*

In gratiam Paschalis solennitatis, Magnus Princeps, per Secretarium suum Baczmakovi-um, munera misit GOSIEVIO: scilicet decem ulnas ferici flavi, & quinquaginta Rubellos argenti; centum cupri. Cæteris Concaptivis omnibus, habito personarum respectu, liberalia dona data. Adjecta contra Gentem Polonam querela, quòd alieno à Christianitate more, Moschorum Gentis Captivos in Tauricam Chersonesum pro equis & arcibus venundare non erubescant. Suum Principem nihilominus, Christianis Captivis, (quàmvis in suo positum sit arbitrio) nolle repen-

*rependere vicē; sed eos Christiano colere ritu, illisq;
munera largiri, effatus.*

Nuntiabatur iam magnâ expectatione omnium, adventus Cæsareorum Legatorum, qui duobus acerbissima odia exercentibus Regnis, mediationem, pacemq; demùm allaturi sperabantur. Quandoquidem publicarum, privatarumq; opum ostentatione, tum hominum multitudine, hic dies â Moschis prædicabatur fore mirabilis: & CORVINVS ingressû spectare, recentiq; perfrui aurâ (semper aliàs inclusus suæ mansioni) cupiebat: & Moschi (qui plerumq; propria mirari, & præferre cunctis consueverunt) *Pristavi* non obscure gratiam spectandi impetrandam, ultrò innuebant. Nec difficulter impetrata. In Suburbium Twerense (hæc via pro triumphali habetur) ad Prætoriam domum & porticum superiorem cæteris altiorum, equo deductus cum suis Concaptivis, primum spectavit mirè amænû illius Urbis, simulq; Castellum, hinc inde, fluviis irriguum, maximè opportunû, benèq; munitû, ac totâ Vrbe eminentè

*Cæsare
Legati
expectantur
Moschi.*

fitum. Spectabat deinceps multorum Procerum filios, sigillatim cum suo comitatu splendide in campum, Vrbe excedentes. Ex villis Principis, sedecim (verius ego crediderim quatuor aut quinque;) equorum millia deducta dicebantur: qui fortunæ tenuioris ministris commodati. Iam verò, quibus & natalium splendor, & opum, maiorem copiam rerum suppeditabat, ipsi auro aut argento intertextam Persicam vestem induti, torquati pectus, pileos gemmis splendidos gerebant. Zebellinæ Scythicæ pelles, vulgare quid cernebantur: generosissimi equi Turcici, Polonici, aureis, argenteisque; fellis Turcicâ opulentiâ instrati, insidebantur: sessoreque; vacui, ante signa ducebantur. Tum ingens mancipiorum famulitium, unumquodque; signum concomitabatur.

*Moscho-
rum splē-
dor.*

*Pompa
trium-
phalis.
Ordo
Aule.
Moscho-
viticæ.*

Omnibus in campo sub signa distributis, postquam Legatis dextræ datæ, rhedaque; Principis auro splendida: primus in Urbem sub signis sese infundebat ingens numerus famulitij & mancipiorum, quæ unusquisque; Procerum, suis armis,

armis, veste, & equis instructa, triginta aut quadraginta expediverat. *Dworonye Iudie* dicuntur

Sequebantur Prætoriani pedites sexcenti vestem purpuream induti: omnes equis candidis vestiti. *Strelcy.*

Dworonye.

Strelcy.

Hic locus datus est; qui vestium & equorum splendore pares cæteris, *Gostie* dicuntur.

Gostie.

Sequebantur sub suis signis, Ducalibus equis ignavissimè iniecti, abiectissimi Ministri Ducalium culinarum, braxatoriorum, cellariorum; pistores, ianitores &c. &c. *Kluczni*

Prostszye, & pochodonye stiepiennye, Łaziebniczye, Skaterniczye, Storoży, Istopniki, Chlebniki, Sytniki, &c.

Kluczni ki &c.

Powary &c. ductores, illorumq; præcipui eminebant vestium cultu. Ingens hominum numerus.

Equites Moschi mille, Germanico more, disciplinâ & ordine egregiè instructi, ab Officialibus Germanis ducebantur.

Ryтары. Sokolniki.

Avium venaticarum Præfecti quadraginta. Hi erant tunc in magno apud ALEXIVM Princi-

Principem obsequio; idcirco magnoperè apud Proceres æstimati, dabaturq; iis fides, quicquid Nomine Principis edicebant. *Sokolniki.*

Artemon Serbeiewicz Colonellus (qui millesimo sexcentesimo septuagesimo quarto, Senatorium munus adeptus, Supremi Ministri obibat officium) omni splendore vestium gemmarumque, Zebellinarum pellium, equorum elegantia, cultus ipse, ducebat cultiores Ministros Ducalis Equilis. Horum ordo non inlegans. Triplici ordine octodecim Equites vestem purpuream, pileos flavos induti equitabant: hos sequebantur octodecim equites, veste flava, pileis purpureis: totidem, veste rubra, pileo viridi; totidem veste viridi, pileo rubro: & sic deinceps longâ serie varij colores permixti.

*Konin-
clay.*

Iam scribarum duo fere millia sub suis signis - - - - *Poddiaczje.*

Secretariorum aliquot centeni - - *Diaki.*

Longè cultiori apparatu, Nobilitas sub suis signis, - - - - *Dworzanie.*

Tum

Tum atrienses aulici, - - - Zylcy.

Nomine, non officio, Cubicularii Principis
sub sex signis. - - - Strabozye.

Dignitate, splendoreq; vestium insignes Mæ-
sæ Ducalis Ministri fermè quadringenti, immen-
sum clausisse videbantur agmen. - Stolniki.

Post longum temporis & loci intervallum,
sequebatur absq; signis, manipulus ferè quin-
gentorum equitum; omnes, qui frontem vel
medium, numerosi æquè ac splendidi comita-
tûs occupaverant, vestium, equorum, gemma-
rum, sellarumq; splendore antecellens. Aurca
aut argentea toga, communis omnium vestitus.
Tinnitus verò bullarum, aut torquium, quos
hactenus appendi est mos, tam numerosus va-
lidusq; erat, ut quid interim loquerentur, nec â
circumfusa multitudine, nec â se invicem in-
telligi potuerint. Hi erant Camerarij, & Pro-
cerum Moschoviæ Filij, Nobilissimi quiq;. *Ko-
wnatnye* nuncupantur.

Supremo loco rhedâ Ducali, tanto appara-
tu dignâ, sexigis in Urbem vehebantur Sacræ
Cæsa-

Cæsareæ Maieſtatis Legati Extraordinarij.
 ſcilicet A V G V S T I N V S Von M A Y -
 E R N, Sacr: Cæſar: Maieſt: Cameræ Conſiliarius,
 & H O R A T I V S G V I L I E L M V S
 C A L V V C C I, itidē S.C.M. Cameræ Cõſiliarij.
 Quorum comitatu aulico, dati equi candidi o-
 mnes. Duravit hic ingreſſus, à meridie ad pro-
 fundiorem ſolis occaſum, horis fermè ſeptem.
 Meo iudicio, ſi ê tanto numero, ſelectiores
 tantùm ad ornandam ingreſſũ illius celebri-
 tatem propoſiti fuiſſent, procul dubio ſpectan-
 tium maximo guſtu & applauſu, trium aut qua-
 tuor millium, incomparabili ſplendore & ma-
 gnificentiã exhibuiſſent manum. Iam verò dum
 numeroſiſſimi videri ab Externis cupiunt, lixis
 & calonibus ſigna complent. Hinc exortã ſub
 ipſum ingreſſum pluviã, pileos recondunt, non
 deferentes tamen ſigna, nec quopiam pallium
 ſubminiſtrante, nudo capite coacti excipere
 nimbum.

Princeps prætereuntem equitatum ſpectabat
 ê Caſtello, medius inter Proceres; quorum
 Offi.

Officia recenseo proprio ordine, Lectori Statum ejus Aulæ, notum habere volenti. (Iarius

Diaki Dumnye. Supremi Secretarij & Cæcel-

Dworzanie Dumnye. Senatores tertij Ordinis.

Kaznaczey. Thesaurarius. (fectus.

Orażenniczey. Armorū personæ Ducalis Præ-

Krayczy. Incisor.

Okolniczye. Senatores secundi ordinis.

Dumnye Boiare. Supremi Senatores.

Dworeckoy z putiom. Supremus Aulæ Mar-

schalcus.

Koniuszy Osudarstwienny. Comes stabilis, seu Supremus Minister statûs, aliàs Stabuli Ducalis Præfectus. Hic deficiente lineâ Ducali, ex vi sui officij, erat primus Candidatus Monarchiæ. Hoc supremum officium vacat, ob metum Tyrannidis, (uti infra constabit) in Magnis Ducibus Moschoviæ.

Peditatus intra Urbem mansit, incendij (veriùs seditionis, iam ingenti rabie in populo gliscentis, quæ demùm anno sequenti erupit) metu; sed postridiè, dum omni civilitate

Z

(quæ

Ordo Senatorius

(quæ inter Austriacam & Moschoviticam Aulam sacrosanctè colitur) Legati ad osculum dextræ Magni Principis erant admittendi, in armis exhibitus. Populus quoq; ostentandæ frequentiæ causâ, tam in Castellum, quàm extra compulsus. Austriacorum adventu, non revocati ad religionem animi, nec extinctæ inter Principes, bellorum faces: quum mediatores sibi non deessent; Moschi suum commodum metirentur: Polonus veterum bellorum causam Smolenscum, Severiamq; repeteret, mediationemq; omnem, præcipuè tunc Austriacam recusaret. Accuratissimè Moschi sciscitabantur, num aliqua notitia inter Legatos & CORVINUM, antèhâc non intercesserit? num hisce diebus clam Sibi salutem & literas non transmiserint? hinc Legatis nuntiabant, Eum adventare: intereà vultum considerantes, quâ promptitudine, Hospitem falsò adventurum præstolarentur. Seu suapte prudentiâ, adversus Moschorum fraudulenta & suspiciosa ingenia instructi, seu jam à CORVINO præmoniti

moniti Austriaci, dolos *Pristavorum* eluserunt, simulandoq; ignorantiam Personæ, responderūt: *paratos se esse, ad excipiendos omnes, quâ par est humanitate, quicumq; sese invisere voluerint.* Multò verò post, injectâ ab Austriacis quâdam mentione **GOSIEVII**, orta est *Pristavis* suspicio. Actum ibidem inter Excubitores scrutinium, quinam Externi eo die, aut pridie illuc comparuerint? num schedulam aliquam non attulerint? dextrè tamen per ipsosmet Legatos, aversa est ab literarum latore culpa, in seniculum quendam, prorsus facti expertem: qui præstito juramento super facti ignorantia, liber à calumnia evasit. Iam **CORVINVS** secretiori caractere interpellaverat Legatos: à quibus vicissim, proprio, & Ducum Curlandiæ Nomine, multis nominibus cõmendatam receperat salutem. Ministri literis transferendis adhibiti excubitores, æquè apud **CORVINVM** ac apud Legatos invigilare alternatim soliti; scribendi modus primùm Arithmeticus, mox cepearū, vel citriorū succus ad secre-

*Literarum com-
mercium inter Le-
gatos & Gosierium.*

tum cælandum inventus. Quâ ratione Sibi salutem, & quicumq; occurrerent in Vrbe rumores, ferè indies transmittent: vocabulo quidem impares, pari tamen forte & modo tractati, fermè nostris se agnoverunt Austriaci æquales, cum se ligatos Legatos, familiari scripto appellarent. De consensu Magni Principis, amandabatur Cursor Austriacus Viennam, iturus per Poloniam. Præmonitus à Legatis CORVINVS de dandis clam literis, in Patriam, certò & securè deportandis, hanc Arithmetico stylo scripsit schedulam, Supremo Cancellario Magni Ducatus Lithuaniae.

*Præcautiones in
Patriam*

Pacem Vobis proficiam, non nisi in hostico sperate.

Accelerandum huc quam maximè, quousq; inopes consilij, ad seditionem pronos invenire potestis.

Si hac estate finem bello non imponetis, vel nullam, vel post multa tempora, pacem sperate.

Tria hæc Regi suo, cautelæ loco transmiserat, quæ si intercepta fuissent, Legati prodicionis suspicionem non evasissent.

Hoc

Hoc anno extremū obiit diem Georgianorum
 Princeps, Moschis dicitur HRVZDZINSKI
 CAR. Is ad littora Caspij maris beneficia-
 rium à Magno Moschoviæ Principe acceperat
 imperium. Vicissim Moscuam mittere iussus fu-
 um ex Fratre Nepotem, unà cum Matre; vel
 in spem imperij ^{paterni} ~~Moschovici~~ educandum, vel
 pignoris loco habendum. Octavum iam supra
 decimum annum Princeps ille attigerat. Di-
 gnitas ejus Moscuæ non ultra titulos Regales
 processit: in publico proximus lateri Magni
 Principis assistebat; in conviviis ab eo instru-
 ctis (nunquam enim Moschorum Principem
 excipi convivio à subdito fas est) non inter
 Proceres, sed Regio more, proximus Ducali
 mensæ assidebat, quasi vetustate dominij, &
 spe imperij, post fata Magni ^{sibi datus} ~~Principis~~ obtinen-
 di, ad id gloriæ culmen proveheretur. Omni-
 um bellorum comes individuus Magno Duci ad-
 erat, suam dignitatem in obsequio Maiestatis
 collocans, ad quam ^{in sua Patria} spe ingenti assurgebat: nun-
 quam illi è suo sensu pendens libertas, pacis
 an bel-

*Hruz-
diniario
rum Re-
gulo Mo-
scuæ*

an belli rationes sequeretur? arbitrium Principis pro lege erat: cæterum quò altiùs suapte naturâ in obsequium prono Moschovitico Exercitui, reverentiam sui imprimeret *Cavewicz* HRV ZDZ I N S K I, Rex sine populo, Dux sine Militibus, graves sed inanes titulos in castris præferebat. Equi nusquam illi concessa facultas, sed quoties in publico comparendum erat, consulto Principe, Ducalis equus, aut carpentum (non inelegans tamen) HRV ZDZ I N I O, pro una aut altera hora commodabatur. Victualia & pecunia ex ærario Ducali hebdomadatim providebantur. Celsa alioqui, quia Ducali Solio vicina, ejus in Moschovia dignitas, non supra invidiam Procerum assurrexit; petebatur undiq; odiis & calumniis, hoc gravior omnibus, quò celsiùs iisdem eminere videbatur. Vix portas Moscuaë, fama de obitu Patruis sui attigerat, extemplò citra spem & quid ageretur ignarus, ad Castellum rapitur, (omnia enim agere ex improvise & tumultuariè Moschi solent) in conspectum Principis adducitur, attol-
litur

litur Paternum ad fastigium, alienæ potentiaë donum; beneficiarium accipit Regnum: iterq; in Hruzdíniam cum Matre apparare iubetur. Decem millia *Rubellorum* cupri, & viginti quadragenæ Zebellinarum pellium, ei dono datæ. Ex semicaptivo iam Regulus, viâ publicâ, dives munerum, circumfusi populi plausibus superbus, domum honorificè deducitur. Vbi dū spem restituendi domini, & hætenus dubiè fluctuantia vota, servatâ Magni Ducis fide firmari gratulatur, anteq; discessum, numerosum ex amicis & sociis itineri suo describit comitatum; apud Senatum accusatur: illicò porta domûs excubitoribus firmatur, nemo admittitur, nec priùs remotæ excubiæ, quàm instructis in flumine navigiis, honorificè à Nobilitate Moschovitica, ad flumen deduci mandaretur. Quatuordecim navigiis maioribus, cum Matre sua; cidari conspicuo, & stipato famulatio Persarû more vestito, (quibus contermini sunt Georgiani) cum præsidario peditatu (nam Wolga latrociniis Donnensium, è Tanai, per paludes & cannas irruentiũ

*Regulus
in Patri
am suam
destina-
tur.*

pentium obnoxius est) solvit è portu, in Occam, & Wolgam, ac usq; Astrachaniam appulit: inde mutato consilio, Moscuam retractus, donec iterum expediretur in Patriam. Mater ejus discessura, per Medicum CORVINO ore tenùs transmisit salutem, dicitans: *Filij sui sortem, ejus Fortune esse consimilem: comprecata à Deo utriq; veram libertatem.* Discessum ejus spectabamus de Supremo domûs fastigio.

Captivorum quispiam, abiturus liber in Poloniam, mendicans ad portam GOSIEVIANÆ domûs comparuit: ei schedula Arithmeticè scripta, (reddenda M. D. L. Supremo Cancellario) pani inclusa, porrecta; quæ has præcautiones continebat:

Præcautiones in Patriam missæ,

Cavete, Ne à bello desistatis.

Ne Moschi Captivi vendantur,

Ne fidem infida Genti præstetis.

Ablegatorum explorationes vitate.

Pacem si bonam vultis, in hostico querite.

Quosdam amicos nostros, sibi hinc non deesse scitote.

Aliud moltò prolixius scriptū, per portū Archàngeli

geli Dantiscum, & Varfaviam, eidem M. D.
L. Cancellario, transmisit.

Duo sunt, quibus Moschorum salus in casu extremo, desperatisq; rebus nititur.

Primò Legatis mediationem offerentibus, sistere pericula, & obtinere desiderata sperant. Secundò. *Præcautiones alic.* Omnino sibi persuadent, bellum brumale Polonis ipsi brevi grave futurum; dum contra potentiores armis Polonos, pertinaci obstinatione certabunt Moschi: omnibus, quæ sua sunt, in arcibus conservatis, leve damnum in iactura pagorum habituri,

Vtrumque serviet pro remedio.

Ad primum. Videntur quàm humanissimè excipiendi Legati omnium Principum: non neganda mediatio, servatis servandis, & provisâ prius per eosdem, ante præliminaria, recuperatione Captivorum, tanquàm primum experimentum fidei & valoris horum Mediatorum, & vera ad pacem propensionis Moschorum. Quâ in re, promissis minimè fidentum, donec effectivè restituantur: ostentare enim Captivos, non commutare, illis solenne est.

Ad secundum. Sic res gerenda, ut appareat
Aa Polonos

Polonos hęc vivere velle, neq; ante confectam pacem, in suam Patriam redituros.

Cum Suecis & Tartaris, magno pretio pacem querunt, sperantq; venalem. Vos infinito prosequuntur odio, & magnâ vindicta flagrant cupiditate. Hęc omnem suam gloriam, & commoda, ignominia damnisq; Nostris aucturi, quicquid per Suecos illis demitur.

Aliuro Vos, ne hæc, à me scripta vulgentur: meo alias, meorumq; interitu obliteranda.

In Polonia generalia Comitia Regni, & M. D.L. indicta: IOANNES CASIMIRVS dum viribus ætateq; adhuc benè valeret, futuræ pacis, quietis, securitatis, providus; rebus Polonicis, præsertim iam nunc adversus Externos, bello florentibus, omnia ad avitam pacem per Electionem novi Regis, Se vivente instituendam reducere decrevit. Ingentem ergo ordinum frequentiam, ad Comitiam collectam, cuiusmodi allocutus est oratione.

Oratio
Regis
Poloniae

Non dubito quin propositio mea (que in particularibus Comitibus, circa Electionem Me vivente instituitur)

instituentiam, scripto Meo innotuit) admirationem aliquam in Vobis excitaverit, ex insolita cateris Principibus condescensione; dum Me vivente liberis Vestris suffragiis, Electum cupiam videre Successorem, quem naturali serie relinquere, Fata invida Mibi denegârunt. Nec illud Mibi incertum est; rem adeo insperatam, variis sinistris interpretationibus obnoxiam esse; quas ut candida declaratione Mea extinguerem, equum videbatur, sermone publico pressas hactenus Regali pectore, Patriæ faventissimas intentiones Meas depromere. Imprimis neminem velim existimare, Me de repente & inconsideratè illi consilij arripuisse; etenim ab Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto, post obitum ultimi Fratris Mei, ipsemet ætate gravis, extra spem proli propaganda, iamq; Supremus Domus Meæ Hæres, considerabam, id à Me deberi huic Patriæ, ne post fata Mea, supremum illi fatum, cum inseparabili ruina incumberet. Sed ob emergentia indies nova bella, dilata necessaria proposita resumpsi, quàmprimùm Respublica à cladibus respirare cepit.

Considerans itaq;, iam ducentis annis ex linea Ma-

pro instituentia
Electio-
ne se vi-
vente a.
Iulij
1661.

terna: septuaginta ex Paterna, Domum Meam, liberis Vestris suffragiis, in hoc Throno Regnatricem sedisse: Memetipsum in hac Patria natum, educatum, à Vobis electum, regnare: optabam hoc monumentum gratitudinis, in mentibus Vestris relinquere, ne beneficiorum, vicissim & Domus Mea amor, Meiq; memoria, simul Mecum emoreretur: sed ut etiam post Fata Mea, gratam recordationis memoriam, in cordibus Vestris possem continuare, inductis Vobis, per consilium assensumq; Meam, ad liberam Electionem, quam non nisi Me vivente, liberam esse posse existimo.

Dumq; examino vires Meas, quâ ratione postremus Familia Jagellonica Hæres, possem huic Reipublica continuatum in Domo Mea Imperium compensare, nil efficacius invenio, hâc meâ propositione; super quam securè effari possum: Popule mi, quid amplius tibi facere potui, & non feci.

DEVM appello testem, nullum Me privatum bonum intendere: nam Ego per legem mortalitatis, omnia Mea & Domus Mea Fata, Mecum traham; nec video, cur in hoc negotio, intentiones Mea haberem.

berentur suspecta, in quibus Mei videor obli-
sci; immò absq; reflexione Me expono variis Re-
gnantium casibus, Polonæ Gentis virtuti, Meoq; in
presenti actu Heroico amori, erga Regnum hoc, con-
fusus.

Protestor, ante DEVM hoc genere cessionis nul-
lum avita Vestra libertati præiudicium, aut fieri,
aut Me facere, intendere: immò in conscientia exi-
stimo, nullo modo libertatibus Vestris melius provi-
deri posse, nisi per Electionem Me vivente institu-
endam.

Quò verò certiores sitis, ex Mea parte polliceor,
Me relietorum Vobis omnia requisita liberæ Electi-
onis: Eum approbaturum, quem Vos elegeritis; dum-
modò sit Catholicus, antiquâ Principum Familiâ o-
riundus: non Vasallus vicinorum Principum, aut
recenter creatus Princeps, aut ab arbitrio & mu-
tu alicuius Principis, minùs Christiani, dependens:
aut Turcicum bellum secum in-venturus. Deniq; ut
sit Me longè annis inferior, & vegetior.

Minùs opto eligi aliquem ex his, qui in Per-
sona bellum gesserunt contra Poloniam, ne per vim
& po

Et potentiam, Tyrannico quodam modo occupare hoc Regnum intendat.

Minimè necessarium duco, huiusce Electionis recensere commoda; non latent pericula Interregnorum; id solum revoco in memoriam, quòd quantumvis sæpenumerò Respublica feliciter superaverit Interregna, nihilominus ævo presenti certò Et evidenter ei foret succumbendum. Ætas illa Maiorum Nostrorum, simplicitatem, sinceritatem, amorem recti coluit: firmior erat unio animorum in Republica, non ita potens audentium ambitus. Ignoti eramus Principibus Externis: ignorârunt, in quos usus illis valere poterat Nostra Potentia, nullis promissis in partes Nostras inclinati, imò egestas Et contempta ruditas Nostra, longè eos à Nobis, Nosq; ab illis avertebant. Nullus tunc in Republica mercenarius miles, nulla seditiones militum audiebantur. Nullum suberat periculum, aut metus, ne Pars una, per potentiam alteri Regem imponeret: aut si id contigit, nil à finitimis, Partes metuebant. At hac temporum tempestate, omnia hac mala Patria imminent: utinam sum falsus Vates: certum tamen est, absq; hac Electione

Etione cessurã Rēpublicã in direptionē Gentium. Moschi
Gentesq; Russorū, linguã & ritu sibi cognata, sese vin-
dicabunt, Lithuaniam sibi destinabūt: finitimis patebunt
confinia Maioris Poloniae: de Prussia Suecus & Brä-
denburgicus, aut pacifcentur, aut digladiabuntur. In-
de Domus Austriaca, quãvis sanctissimas gerat
intentiones, in tanta direptione, Extraneorumq; vi-
cinitate, sibi non deerit. Vnusquisq; enim partem
Poloniae, armis questam; quam totam, antiquis li-
bertatibus contra Principes tutam, habere malet.

Quis tandem sponsor? num Exercitus Nostri, a-
licujus Principis non augebunt vires? an signa sua
signis alicujus ex rapientibus Imperium, non socia-
bunt? Novo quoq; in Republica Kozacorum Statui,
ut licuit Me vivente ad Remp: accessus, ita
Interregni tempore omnia audere licebit.

Velitis itaq; considerare, non posse esse liberam
Electionem, nisi Me vivente: nec Vos fallat nimis
moris vetusti amor; dum Regna pœnè universa, novas
indies veteribus surrogent consuetudines, recentescq;
rationes inveniant, quibus novas pariant, partaq;
fortunas tueantur. Amplectimini supremum hunc
Patem.

Paterni affectus Mei conatum; Vobis, Posteritati, quam optimè consulite. Nec differatis hanc Electionem ad felicitiora tempora; nam hac ipsa, in quam tot tantisque votis ferimini, felicitas temporum Vestrorum, dependet à presenti Electione: multum ex praconcepta ambitione remittent illi, qui huic Regno suprema mala moliuntur; ubi adverterint adversus sua arma, Vos validis infuturum munitos consiliis. Concludo hunc supremum in Throno Vestro sermonem, Divinam exorans Maiestatem, ut eam in Vobis excitet mentem, quatenus praesens sincerus, & ab omnibus Meis privatis commodis purus amor, jaciatur in animis Vestris solidum erga Me perennaturae gratitudinis fundamentum, & suggerat consilia, ex quibus publica felicitatis celsa aeternaque moles assurgere possit. Certus sum denique quod ejusmodi Meus affectus idipsum magis firmabit, ut in obsequio & fide Mihi jurata, ad extremum vitae Meae terminum, exemplo Maiorum Vestrorum, constanter perseveretis.

Aperta haec Regis intentio vix in aliquot Principibus orbi hactenus observata, ab Origine Du-

ne Ducum Regumq; Poloniæ inaudita, grandem in Proceribus utriusq; Gentis admirationem excitavit: rapuit obtutus omnium, privatis tenebris Se involvens Serenitas, solis magnorumq; siderum naturam imitata; quæ tunc vel maximè observantur, cum aliquid in illis ex more mutatum est; tunc omnium vultus in cælo est. Sol spectatorem nisi cum deficit, non habet; nemo observat Lunam, nisi laborantē: tunc Vrbes concitant, tunc pro se quisq; non vanâ trepidat superstitione. In mores vitâq; privati eunte Rege, simul orbata Maestas, simul Statûs Regij mutationē secuta est grandis in Regno confusio. Ivère in diversas sententias, discordes Civium animi, intestinis motibus tota concussa Polonia, Civilium bellorum semina, in cognatas acies, domesticaq; prælia excreverunt, formidatumq; hostibus ensem, vidit & doluit Polonia,

In sua Civili conversu viscera dextrâ.

Domesticis in Polonia tumultibus, ad arma excitata Turcia: ita suis & alienis viribus in Patriæ ruinam laboratum. Suspiciabantur non

vanè universi in viduatam Principe Maiestatem obtrudi *Condaum*. Iam jura libertatis, tacitis factionibus violari, serviles tegi fallacias; bellum in Imperium favorabile Gallis, jam prope excitari manifestè videbant. Electionem hanc vivente Principe, libertatibus suis, & à Maioribus recepto usui, perniciosam fore, iudicabant. Pars, Regni competitorcs (Fæminæ Principes præsertim, fæmineorumq; consiliorum in Aula sequaces) plenissimis assentatione encomiis celebrant. At Exercitus, suis viribus stare Rempublicam, suis victoriis augeri, se Maiestatis custodes, suo arbitrio Principes ad Solium sublimandos (Procerum, bellicæ Ducum, instinctu) testabantur. Cuncti verò potissimâ rationem adversus Electionē prætendebant, metum publicum; ne *Condaeo* absolutū imperium factum, Genti Austriacæ hostile redderetur. Dum ita intestinis motibus tota concutitur Polonia; CORVINVS seu præfagâ mali mente, seu in Patria perspecta habens Civium ingenia, in varios divisa sensus, *sibi quidem*

dem in Moschoria moriendum, dum bella consulto
pro enervatione Civium trahentur; Patriæ verò do-
mestica & externa mala ingentia prædixit. Se-
cutæ inde namq; seditiones militum, Civile
bellum, clades Regionum geminatæ. At ubi
hi omnes conatus pro instituenda *Condei* ele-
ctione ad votum non cederent, obitus Regi-
næ, & Regis abdicatio, extremum deniq; ma-
lorum, gravis belli Turcici tempestas, in *Podoliam*,
Wolyniam, *Russiam*, *Vkrainam* effusa, nil ni-
si subversionem Gentis, certumq; interitum Po-
loniæ minabatur. Et hæc quidem humana

volvebant consilia, ignara quòd vagum Imperi-
um fata destinarent ~~Prophetis~~ SOBIESCIA-
NÆ: ut jam tunc aucti Turcarum successus,
& altiùs elata potentia, graviori pondere olim
ad Chocimum & Viennam victore gladio
IOANNIS Tertij rueret, profligareturq;. Interea
magnum negotiorum curâ distracto Regno; clarus in exilio,
carus amicis, desideris Civium revocabatur in Patriam,
Patriæ indemnitati in carcere emoriens CORVI-

*Marschal
ei oratio
pro libe-
ratione
Corvini.*

N V S. Equestris ordo solenni oratione, Regem Senatūq; per Marschalcum precatus est, ut quâ ratione **VINCENTIVS CORVI.** N V S delictum Patria, in Patriam revocaretur, inirent modos. Rex non difficulter & ipse Civis Emeriti servandi cupidus; præbuit assensum. Quatuor Moschorum Generalissimi ad Czudnoviam & Połonkam capti, pro Eo uno restituendo, decreti. Scilicet: *Kniaz Osip Iwanowicz Sczerbaty*, Senatorii ordinis.

Kniaz Siemion Łukicz Sczerbaty Campi Dux

Kniaz Gregory Ofanasewicz Kozłowski Campi Dux.

Iwan Akinfieiov Campi Dux.

Actum ea de re â Cancellario Magni Ducatus Lithuaniae cum *Zamiatnio* Careo Ablegato: sed cum is negaret â suo Principali, sibi datam potestatem, hâc de re quidquam statuendi, liberalis declaratio Magno Moschoviae Principi, in vim donationis, (salvo Iure & caractere **GOSIEVIANÆ** Legationis) per *Zamiatniam* scripta est: ac ipse **GOSIEVIVS**

in nu

in numerum Legatorum, lege adscitus. Legatis iniunctum, ut posteaquam inter Principes per Ablegatos de tempore & loco fuerit conclusum, eò res deducerent, ut inter utramq; Gentem, ex tot cadibus nova indies nascentia bella tandem opprimerent, & cum publico bono, lites ad desideratam pacis tranquillitatem reducerent. Idem urgentissime instare iussi, ut **CORVINVS** ad initium tractatum statueretur, qui non modo militari, sed ad præsens Legatus, circumventus & captus, contra fidem iurejurando datam, contra Iura Gentium, iniuriosè, in præiudicium Reipublicæ, Moscuam deductus.

Cum reditu Zamiatnii meliora sperabantur: dum liberalitate Divinâ, ad eò dives Polonorum Lithuanorumq; esset Victoria, ut de sua præda, pro unoquoq; Civium, aliquot Moschorum capita donarentur: ac insuper (insuetæ aliis annis) Ducalis Clementiæ indicia, libertatem præfagire viderentur. Nam cum Zamiatnio unus ex familiaribus CORVINI, cum literis, medicamentis, vino, pecunia, &c: rectà eundem accedere, ac totos quindecim dies vivere & colloqui

colloqui liberè permiffus. Regiæ literæ cum-
primis fper auxerunt.

IOANNES CASIMIRVS D. G.

REX Polonia, Magnus Dux Lithuania &c,
Perilluftris, Sincere Nobis Dilecte.

Æquè anteactis annis, fidele confilium Sinceri-
tatis Veftræ præfentis æftimabamus, ac nunc; quan-
do Divina bonitas, ampliffimè auxit res Noftros;
externa & interna undiq; removit mala; fpoliis,
Victoriis, trophæis ditavit Noftra Regna, æftiman-
tes idem confilium Sinceritatis Veftræ, decrevimus
cum Ordinibus Regni, in præfentibus Comitibus, pa-
cis artibus magis quàm belli, cum Moschovia paci-
fici. Designavimus Commiffarios Noftros ad Tracta-
tum pacis, includendo Sinceritatem Veftram. Què,
quandoquidem præfenti calamitati iniqua fors invol-
vit, per convulfionem Iuris Gentium, urgemus re-
ftitutionem Sinceritatis Veftræ; inde facile æftimã-
turi in vicino Principe, fincerum defiderium pacis
fanciendæ. Non dabitabit itaq; Sinceritas Veftra
effe Nobis cordi, totiq; Reipublica Sinceritatis Veftra
eliberationem: quandoquidem omnes poffibiles adhibem9
ratio.

rationes, exoptantes quàmprimùm usui Nostro, Sinceritatis Vestrae presentiam. Quem interea benè valere cupimus. Dabantur Varsoviae XXV Iulij MDCLVI. Regni Nostri XIV Anno.

IOANNES CASIMIRVS REX.

Rebus sic in partem Nostram dispositis, iam proculdubiò currens autumnus carceris ærumnas terminâisset, ni recens dubium Moschos, in novas furias egisset. Nonnulli Proceres Regni, cum numerosis Moschorum capitibus ad Czudnoviam captivatis, expediverunt Moscuam Adamum Mysliszenski, dato mandato, ut de commutatione GOSIEVII quidem primariam curam gereret: veriùs, ut litrum pro Captivis, (quod ii pertæsi carceris ærumnas, ultrò obtulisse ferebantur) ex thesauro Magni Ducis numerandum exigeret.

Smolensco Moscuam præmisit Captivorum aliquot, in Poloniam redituros, si litrum negaretur. Vbi Moscuam ventum est, promissâ comâ, vesteq; squalidâ, quæ immani servitute carcerisq; pædore confusos testaretur, cum

suppli

Mysliszenski
Venales
Moschos
proponit

supplicii libello humi coram Magno Duce,
 procubuerunt; tum ingentes Polonici carceris ex-
 ponunt calamitates, obrui se laboribus, quotidie ca-
 di, fame enecari; boum loco trahi à Captiuis ara-
 tra; bisq; cruciatuum modis litrum à Se extorqueri,
 firmissimè asseuerant. Longè disparem esse sortem
 suorum sociorum, qui apud Lithuanos Captiui alun-
 tur liberaliter, reseruari pro mutua Lithuanorum Ca-
 ptiuorum commutatione. Suos itaq; subditos, in
 Tauricam Chersonesum Tartaris venundandos, n̄ li-
 trum persolvatur: hos presenti calamitate, subleuet
 Magnus Princeps, supplicant: Gens auri tena-
 cissima, nec alienæ par cupiditati; insuper in-
 dignitate rei permota, non Ducem solùm, sed
 Regem quoq; contumeliis dirisq; (quæ sola impo-
 tentis furoris arma sunt) impetere; *Mysiszewiū*
 verò conspectui Principis admoveri, & in Vr-
 bem etiam admitti, dedignata: sed hâc &
 illâc indignissimè, per præruptos montes flu-
 mini impendentes, & vicos, pertractum po-
 tiùs quàm deductum, in GOSIEVIANO
 carcere, præsentè *Almazio* Supremo Cancellaria-
 rio,

rio, Legationis summam proponere iussit. Postulabat quidem ille eliberari CORVINVM per commutationem Simeonis Sczerbaty, nuper ad Polonkam capti, Nomine STEPHANI CZARNECKI; sed omne convertit studium ad litrum extorquendum. Tres dies hifce nundinis Polono Nomine indignis, speratæ Captivorum libertati perniciosis, impensiv. CORVINVS, cæteriç; Captivi, moniti à Moschis: suam rem geri: se quidem ad præsens litrum persoluturos: nihilominus suis captivis receptis, *Moschorum sensus.* erogatum aurum in triplo à Polonis extorsuros. Si qui in Tauricam venum deportarentur; scirent, vicissim se à Moschis in Persiam, aut ad Kalmykos, venum deportandos. Non paterentur itaq; in oculis suis se proponi venales, sed acerrimo sermone, Myssiszevium ab incepto deterrent. Quarto die, easdem nundinas iterantem sine fronte Myssiszevium; modestâ & ad gravitatem compositâ oratione perfrinxit CORVINVS: Constare sibi (ait) ex publicis privatissq; literis, cordi esse Sacræ Regiæ Majestati, Senatuiç; suam liberta-

*Gesevii
sensus.*

bertatem, cum exposcentibus Ordinibus, multoties flagitaretur, seu generalis omnium, seu particularis Captivorum commutatio. Diceret itaq; Hospes, aut mercator: publicane an privatâ auctoritate hûc appulerit? Sin privatâ: hanc publicæ postponi debere. Vbi amore Concivium, sociorumq; agendum: desisteret nundinis, aut præferret auro Civium libertatem, monuit. Exceptus deinde cæterorum prudentibus, at simul ferocissimis orationibus, indignantium, se emeritos in Patria Cives, generosa stirpe oriundos, annis tribus, in alieno solo emori, plurimos clarissimorum Concivium, à Patria, & ab amicis exules, iam decimum sub alieno Principe agere annum, multos in carcere nasci, ibidem educari, ibidem aquè Parentes ac liberos, inter multos singultus miserè emori. Hunc verò advenisse, sui sanguinis mercandi causâ; permittereq; Generalissimum Illustrissimo sanguine ortum, quindecennali expeditione bellicâ, plurimisq; Victoriis celebrem; profusis opibus, ac demùm ipsâ libertate, post tot bella victoriis coronata, tot trophæa Martiâ virtute erecta, gloriamq; orbi notam, vitam deniq; tot mortibus

*Fervor
Captivo
rum.*

bus

bus pro salute Patriæ toties objectam, infami servitute terminare. Nec erubescere se ipsos, tot! in Patria, Nobilitate, ac rerum gestarum gloriâ cuiq; pares, multis superiores. Quò Concives vendidisset &c. &c. Hic jam pudor avaritiam vicit. Accerrimas Captivorum querelas & indignationes, solo silentio, (quo suam impudentiam, crudelismq; auri famem liquidò testaretur) excipit inurbanus ille mercator. Adeò fervidi indignantium Captivorum spiritus, mirum in modum Cancellario, cæterisq; Moschis placuerunt, protestantibus, multa inde Captivis bona promanatura. Adducti insuper Moschi ex Polonia reduces, ibidemq; Tykocini, Kowliæ, Petricoviæ, fame, laboribus, minis, promissionem litri, à se extortam exprobrârunt eidem Internuntio.

Quandoquidem Moschi commutationem nullam admittebant; Legationis ius, belli iure abrogatum CORVINO asseriebant; Szeremethium vicissim numero Legatorum suorum inscribebant, omni spe libertatis destitutus, apud avaros Concives commutatio-

*Gosseris
apud Cō-
patrio-
tas Polo-
nos Vē-
nalem
querit lē
bertatē*

nem & libertatem venalem quæsiturus C O R-
V I N V S, *Myssiszewio* septuaginta millia flore-
norum pro Moschoviticis Captivis refundenda,
pollicitus est, dummodò is pro omnibus Ca-
ptivis (quorum venalia nomina attulerat) Su-
am urgeret commutationem. Sed mercator
ille alienas opes venum apportatas præten-
dens, Captivos in extremam conjecit despera-
tionem: nam altero die venit ad G O S I E V I-
V M, Magni Principis Camerae Secretarius.
Convocatisq; Captivis, deprompsit è sinu longam
paginam, ejusmodi in illos edictum continentē.

*Edictū
contra
Capti-
vos.*

*Quemadmodum Moschorum Gentis Captivi in Po-
lonia, maximis laboribus premuntur, muro valloq;
erigendo, aedificiis instaurandis adhibentur, fame ene-
cantur, trahendis aratris implicantur &c. Polone
verò Gentis Captivi vivunt in Dominiis Moscho-
vie, otiosi, liberali victu & amictu à Magno
Principe providentur: insuper magnis muneribus
tum à Principe Domo, tum à populo donantur: id-
circo edicto presenti vicem rependente, declaratur:
ab hinc angustiiori carcere, omnes Captivos detinen-
dos*

dos, omnis victus tertiam partem dandam, eruendoq; sali ad Kamam fluvium addicendos. Sin vero ab hinc quempiam Moschum contigerit vendi ex Polonia in Tauricam, infallibiliter GOSIEVIM cum ceteris Captivis Polona & Lithuanae Gentis, ultra mare Caspium, Persis, aut Kalmykis venundandos, edixit.

Ad refrenandam quidem Nostratum avaritiam, edictum hoc promulgatum: nihilominus omnes Captivi in Vrbe arctioribus ergastulis inclusi, gravioribus quam antea premebantur excubiis: nusquam admissi cleemofynarij: victus conquirendi ratio adempta: ex ærario Principis solitæ pro Captivis numerari impensæ, ad tertiam usq; partem diminutæ: complures sali eruendo ad Kamam, & in Sibiriam, Tobolscum, Astrachaniam, Tierkum ablegati; nonnulli in via fame extincti, pleriq; desperatione acti, ejus Nationis & ritu, & iterato baptismo suscepto, intolerabilem liberis mentibus Captivitatem, perenni servitute commutârunt. Idem edictum promulgatum & executioni datû Tobolsci, in Sibirii-

biria Kazaniæ, Astrachaniæ. Hæc mala, quæ crudelis Concivium Nostrorum avaritia in Nos congestit, tulimus fortiter, quamdiu hostilis clementia rigorem edicti non temperavit. Promulgato edicto omnes excedere cubiculo iussi; solus ille Secretarius formato ad condolentiam vultu, allocutus est CORVINVM, duro simul & culto stylo. *Dolere (aiebat) se esse destinatum denuntiando tristi novo, nihilominus parendo voluntati Magni Principis, significare; Eum esse destinatum in Tauricam Chersonesum, Hanc Tartarorum iam promissum pro eliberando Szeremethio, nuper à Polonis in Tauricam abduci permissum.* CORVINVS tristi ac inopinato nuntio minimè consternatus, ac in repentinis casibus extemporaneus, respondit: *gratulari Sibi eam commutationem, quandoquidem Se tanto tempore, humido loco inclusum, arceri hominum visu & colloquio, destitui usu aure libera, usu equi & armorum, in publicum non prodire, nec præfigi Sibi terminum, quanto adhuc tempore sit torquendus, nec modum edici, quo vetus possit libertas amissa inveniri*

*Gosiewi-
us in
Tauri-
cam de-
portan-
dus decla-
ratur pro
Szereme-
thio re-
cuperan-
do.*

niri. Litrum illis more Patrio, nullum acceptare
 volentibus, commutationem Suae personae pro quatu-
 or Generalibus Campi Marschalci non admittenti-
 bus, (nam impares eos omnes CORVINO *Responsu*
 Moschi declarârunt) et à pace abhorrentibus, Se cogi *Gosievij*
 nihil hâc prater mortem sperare, & ipsâ morte gra-
 viorem captivitatem justinere. In Taurica verò
 quisq; promisso litro Captivus, usu equi & armo-
 rum, hominumq; conversatione fruitur: quò placet ex-
 currere sinitur: tandem apportato litro, sine mora
 Patria & amicis restituitur. Insuper quandoqui-
 dem Sacra Regia Maestas quatuor Campi Mar-
 schalcos Moschos, Suae Consorti condonavit, quâmpri-
 mum quatuor prædicti, in Tauricam deportabuntur,
 illicò Tartaris pro uno, libentissimè quatuor perso-
 nas Officio Sibi pares, acceptantibus, Se liberum fore,
 respondit. Miratus ille extemporaneum respõ-
 sum, erectis oculis obmutuit. Compertum ta-
 men postea est, Moschos ejusmodi commuta-
 tionem Szeremethij in Taurica attentâsse: sed
 posteaquam MECHMET GIEGEY Soltan
 Han ob amicitiae iura cum Regno Poloniae in-
 ita

ita & fideliter servata, assensum negâisset, minis adoriri Captivum censuerunt Moschi.

Alter Secretarius eodem die Nomine Principis denunciavit, *liberam transmissionem literarum in Patriam per Mysliszevium, propriis sigillis munitarum. Insuper concedi unius vel duorum è medio sui electorum missionem ad Regem Poloniae, pro impetranda Captivorum commutatione, abolitâ litri extorsione. Is demum sponsore CORVINO caterisq; redire Moscuam teneretur.*

*Privata
studia cõ
quirẽde
libertã-
tis.*

Quaquam *Mysliszevio* inter salutandum (Moschis fraudem non sentientibus) porrectæ iam fuerant schedulæ secretæ Regi Poloniæ deferendæ, nihilominus publicè aliæ datæ literæ. De legendis è medio Captivorum, ablegandisq; in Patriam, diu dissentientibus animis deliberatum. *Niewiarowscius* hanc missionem ad se devolvendam (spõsore *Pristarvo*) sibi persuadens, elabi è diuturno carcere, non dissimulanter nitebatur: nonnulli ad se munus illud trahebant; omnes (prout in posterum ipsi facti sunt) non redituri, CORVINVS cum prudent-

prudentioribus: *missionem in Patriam, libens omnibus precabatur; Suam sponsonem, Sibi exitiosam, negabat.* Hinc *Niewiarowskius* Vatinianum contra **GOSIEVIVM** concepit odium, quasi is libertatem suam, malis licet quæsitam artibus, præpediret. Actis itaq; gratiis Magno Principi per eundem Secretarium, pro clementissima indulsione, respondit. *Quandoquidem Sibi nec litro, nec commutatione quatuor Generalissimorum præviâ, spes libertatis affulgeat, nec reditura pacis appareant indicia, nihil Sibi restare in Patriam scribendum; præter Sibi Suisq; luctuosum vale; aut de commutatione seu abolendo litro per aliquem ex suis agendum; maximè verò cum eâ de re, jam multoties scripserit Fratri Suo* **CHRISTO. PHOROPAC M. D. L.** Cancellario, *cujus authoritatem pluris apud Regem & Rempublicam æstimari, quàm omnium à se hinc ablegandorum, facile constat. Homini morbis & exumnis, tum dubiâ expectatione pacis afflicto, hic restat mortem præstolari. Quam indubiè secururam præoccupando, Se literis ex Clementia Principis permissis,*

*Gosievij
responsus.*

Dd

anne.

*Despera
ta liber-
tate te-
stamentū
trans-
mittit.*

*annexurum transmissurumq; in Patriam, supremam
mentis tabulam. Verbis rem, scilicet testamen-
tum sigillo munitum (non tamen prius ape-
riendum, nisi, dum constaret Eum vitā exces-
sisse) transmissit. Plurimas deinde schedulas
Sacrae Regiae Majestati, alias Cancellario clam
deportandas, familiari suo redeunti, concre-
didit: fraus ut coram Moschis celaretur, ce-
parum succo, secretum literarum occultatum,
chartaq; serico aut pellibus involvendis (ut
munditiei conservandae deservire viderentur)
adhibitæ. Ac imprimis Regi Poloniae his ver-
bis valedictoriae inscriptæ.*

*Serenissime ac Potentissime REX
Domine mi Clementissime.*

*Redditæ mihi sunt literæ Majestatis Vestrae, quibus
post præstitam Paternam mei sollicitudinem, innue-
re Majestas Vestra dignatur, Se fidele consilium
meum ratione pacis ineunda, etiam secundissimis Su-
is rebus admittere, jamq; in præteritis Comitibus ar-
ripuisse: ac tandem pro ea restituenda utriq; Genti,
Commissarios suos destinare; Me humillimum Suum
Subdit.*

Subditū, eorū numero inscribere; demū omnes alias meæ
 liberationis rationes, non intermittendas, adhibere pol-
 licetur, per quas Majestatis Vestræ obsequio restituar.
 Sed ne iudiciū Majestatis Vestræ fallam, scriptum ra-
 tione commutationis, (qualis hîc affectatur,) transmit-
 to. Quoad meam personam, superaddo: quandoqui-
 dem sic fata destinârunt, hîc pro Dignitate Majesta-
 tis Vestræ mori, sum paratus. Ut verò non tam
 intuitu viginti aliquot annorum, in obsequio Regiæ
 Domûs, ac toleratarum tot calamitatum, duplicatis
 carceris ac mortis ærumnis, sed benignissimâ Suâ
 commiseratione, Majestas Vestra commota, Consorti
 & liberis Meis Clementissimus vivere Tutor, eis-
 demq; à superveniente invidia, post fata Mea, Do-
 minus, Patronus, & Protector sit: similiter ut eorum
 omnium, qui sub regimine & signis Meis, vitam
 & obsequium Sacræ Regiæ Majestati Vestræ dica-
 verant; maximè verò illorum, qui mecum pari ca-
 lamitate involuti premuntur, dignetur recordari Ma-
 jestas Vestra, humillimè supplico. Procumbensq; coram
 Majestate Vestra, Regalem exosculor dexteram.

Moscua 30 Sept: 1661

Dd2

Sacræ

Sacra Regia Majestatis Vestra
Domini mei Clementissimi
Humillimus Subditus &
Obsequentissimus Servitor
VINCENTIVS CORVINVS
GOSIEWSKI.

**Clandestinas verò Præcautiones hæcce transmisit
in Patriam.**

*Si me idoneam suo obsequio Sacra Regia Ma-
jestas censet, dignetur injungere, ante præliminaria
obstinatissimè urgeri meam eliberationem, nec prius
ipsa præliminaria inchoari, nisi restituar: nam ex-
plorare Moschi intendunt, quantum terrarū illis de-
cessura sit Respublica pro Me restituendo Patria.*

*Quamprimùm autē nil decedi subintellexerint, me
nullatenus sistent: Tractatus solvent.*

*Commutatio Captivorum cohibenda, antequam
restituatur: nam Moschi suos Officiales bellicos (quo-
rum sunt egeni) recuperare student, Suos Captivos
ceteros minùs curant. Ni itaq; suorum Officia-
lium causâ, me restituant, nullus alius valebit
respectus.*

Hoc

*Hoc n̄ profuerit: Generales Moschovitici, ar-
tissimè detinendi: h̄c insuper declaratione adjunctâ:
morituros in Polonia etiam pace partâ, si me h̄c
mori contigerit.*

*Si Szeremethium pro Me requirent, declaran-
dum; eum posse restitui, si quatuor Moschorum Ge-
neralissimi apud Vos Captivi, Tartaris resignentur.
Eligant itaq; restitutionem qua placet, vel unius
Szeremethij, vel quatuor Generalissimorum.*

*Moschi sua Gentis Captivos, partim promissis,
partim litro recuperare intendunt. Idcirco decreta
est, ex toto Imperio contributio pro suis redimendis.
Postquam verò omnes suos eliberaverint, in duplo
vel triplo aucto pretio, ne Polona Gentis Ca-
ptivos vendant; videte.*

Maximæ Pacis.

*Nisi una materia concludatur, de alia vetanda col-
loquia: nunquam ultimam declarationem aperiant
Commissarij, nisi prius Moschorum exploraverint.
Id Nobis in Viluensi Tractatu nocuit: cū enim
Electionem Magni Ducis in Regem Polonia, Co-
mitiorum decreto sancitam, manifestè vidissent, non
confi-*

considerando conditionem restitutionis bello ablatorū, imò timori Nostro adscribendo, pertinaciter inbesserunt Berezyna terminis.

Secreta conferentia utrinq; abroganda: nam omnia plena sunt proditione. Minima quaeque hūc perscribuntur.

Obstinationibus Moschorum primis, minimè cedendum: hāc enim ratione explorant nostrorum facilitatem, quae si cesserit Moschis ex voto, eādem obstinatione cetera extorquebunt.

Sub tempus Commissionis, nullatenus à bello desistendum; armistitia neganda: nam hoc concesso, in infinitum distrahent Tractatus; & Principis mandatum expectari causantes, contrahent Copias.

Verbis, promissis, legatiunculis, etiam juramentis, ne credite: imò contrarium sentiendum: quò magis jurant, magis moliantur pernicioosa consilia.

Ablegatorum curam commendo: ne prater publicas personas, cum illis instituant privati colloquia; sub pratextu enim mercatura, secretiora Moschis produntur.

Millies pramoneo. Promissis non credite. Clemens,

mentia officia vilipenduntur: Vestra officia reputantur pro metu.

Maximæ Belli.

Ex Anglia & Germania sperantur suppetia. Avulsionem Tartarorum magnis muneribus attentat. Kozacos similiter incitant ad seditiones.

Nullū medium, sed extrema tentanda ad vincendū hostem: quandoquidem semper in adversis Patriæ Nostræ rebus, simulationem, non amicitiam experti sumus. Idem etiā nūm queritur.

In Vkrainam Kurakinus, Soltykovius, Labanow, expediuntur. In Lithuaniam Dołgoruki, Chowanski, in Nostra Patria fructum belli quæsituri. Opprimendi quāmpriūm: his fractis, securā patebit via Moscuam usque: nulli enim alij Exercitus, præter mancipia Procerum, quibus quanquā falsō obtruditur libertas, certiozem apud nos quærent.

Belli sedem in hostico figite; quamdiu enim non premuntur, pacis abhorrent consilia. Hic in consilio Bellum Offensivum decretum est.

Omnis Vestra felicitas consistit in hoc, si Moscua Exercitus admoveantur. Idcirco inter Occā & Wol-

Wolgam, conſervationi copiarum omnia in integro relinquenda. Ultra Occam & Wolgam Tartaris permittenda, ut ſuos Tartaros è Moſchorum iugo vindicent. Verſus portum Archangeli quâqua verſus cadibus & incendiis vaſtanda: nam inde opes ac peditatus, Principi & Proceribus proveniunt.

Mancipiis Procerum libertas concedenda: hâc ratione odia inter Proceres, qua innata & exaſperata fervent, ^{extinguuntur} ~~extinguuntur~~.

Robuſti tenendi, imbelles dimittendi ad evitandam famem.

Populatione agrorum, bellum non conficietis; nam incluſi præſidiis, bellum diſſipabunt. Expedit itaque ſedem belli figere; fortalitia expugnare, expugnatis imponere præſidia.

Deſectus Moſchorum.

Premoneo, maximâ fame Moſchos laborare: nam populus quàmvis abundet annonâ, odio tamen Nobilitatis, Oppidis eam ſuppeditare negligit.

Fremit populus ob bellum iniuſtè ſuſceptum, & tam longè protractum: ob conſumptos bello villanos ad Konotopum, Biaſiam, Czudnoviam, Poſonkam.

kam. Desiderio libertatis preestolantur nostros Exercitus: passim audiuntur detestari chordas Moschoviticæ.

Idcirco in Nomine DEI, serio redintegrate bellum: infallibiliter, more Sibi usitato, Principes suos vincetos Vobis tradent.

Res evidens, fugam hinc parari: nam in Nizni Novogrod Ducale erigitur Palatium; ubi nunquam Magni Moschovia Principes habitârunt. eodem convehitur annona.

Si celeritate usi fueritis, plura meliora quam sperare potestis, in tumultuante populo efficietis.

Sat sapienti. &c.

C A P V T VII.

Clades Moschorum ad Kuszliki. Confederatio Exercituum Regni & Magni Ducatus Lithuania. Occasio libertatis GOSIEVIANÆ.

Postquam Exercitus Regni arma & imperia Ducum exuisset, soli Lithuani contra Moschos in armis erant; hi Duce MICHAEL PAC Generali castrorum Lithuanicæ Metatore,

Ee

re,

re, illi *Chowanfcio* tot cladibus infracto Duce, non longè Polociâ ad ripas Dunæ castris positus, de ponte flumini imponendo, crebris & cruentis litibus decertabant. Varſaviæ ſolenni conſilio, generalis per Lithuaniam expeditio indicta. Plurimi huic bello adiungendum **CZARNECCIVM** cum ſuis Copiis quæ à confæderatione immunes ſupererant, ſentiebant. Cancellarius Lithuanix **GOSIEVIANIS** præcautionibus inſiſtens, Regiæ Perſonæ dignitatem & præſentiam, ad promovendum Lithuanix bellum, accendendosque in ſuſcepta expeditione Lithuanorum animos,

*Expedi-
tio Regis
Poloniæ
in Li-
thuania.*

perneceſſariam aſſeverabat. Itum in ejus ſententiam. Rex in Lithuaniam profectus, dum caſtra Lithuanorum erat ingreſſurus, **CZARNECCIVS** ſimul cum Polonis Regias partes ſequentibus, & Prætorianis, Regiam extra Regnum magnificè ſtipabat Majeſtatem. Cùm in proximo caſtra eſſent, nuntiatum eſt, Lithuanorum animos eâdem lue, quâ & Polonorum infectos, Ducum non ferre imperium.

Contra

Contra Duces, Cancellarios, omnemq; Magistratum, fremere universos; imperij militaris dignitatem à SAPIENTIA & PACIO ad *Zeronscium* translatum: non Tribunos jam, non Castrorum Præfectum jus suū obtinere: vigilias, stationes, & si quæ alia præfens usus indixerat, ipsosmet suo magis impetu, quàm consilio disponere. Insuper *Chowanscium*, (cū cognovisset in castris Lithuanorum omnia tumultu, seditione, discordiis & disordine geri) nostra mala in suas fortunas versurum, seditionis inhiare. Malorū causam esse non soluta stipendia militi: qui ne venalis videretur, obformatam Electionem *Condeanam* vivente Rege, juribus Patriæ præjudiciosā, iugū Ducū excussit.

Quonam modo, seditione jam pæne lapsas res opprimeret *Chowanscius*, tum inquietissimis intra se rationibus, tum collato cum Præfectis Militiæ consilio, laborabat. At semel irata Moschoviæ Fortuna, aliàs in belli eventibus levissima, tenuit quam cœperat, in Moschovitis premendis constantiam; nilq; tale me-

Confederatio Lithuanica

Clades Moschovitarum

tuentis *Chowanfcij* eodem furore, quo aliorum paulò antè belli Generalium, delufit rationes, evertit confilia, fuperba oppreffit molimina. Nam fignis cum *Zeronfcio* collatis ad *Kufzliki Chowanfcius*, memorabili clade, & quæ fpem Martis *Mofchovitici* ad extremam desperationem præcipitavit, ibidem deletus eft. *Petrus Chowanfki*, Filius fimul & Collega fui Generaliffimi, captus: præda opulentiffima lecta, caftro direpta: *Chowanfcius* vix tribus quatuorve è leviori comitatu ftipatus affeclis, *Polociam* evafit. *Nafzokinus* poftquàm fe cladi fubduxiffet, per fylvas quarto die *Polociam* pervenit. Aetæ DEO, per decantationem Hymni, gratiæ: Regi adveniendi in caftro, victricibus fulgentes infignibus ordinatæ obviam proceffere Legionis: fub hoc tamen genere militaris officij, glifcentis feditionis latitantes igniculi non obfcure apparebant: nam *Cancellarij*, qui hucusq; Regem comitabantur ingreffu victricium caftro prohibiti. Felix hæc, & quæ univerfam priftinæ felicitati *Lithuaniam* reftituit

tuit, Victoria, festo tormentorum sono circum jacentem latè implevit viciniam. Signa centum triginta de hostibus capta, pedibus Regiis subjecta: solenne epulum Triumphatori Principi exhibitum. Moscæ verò adeò solenni trepidatione pallori & pavore est litatum, ac si jam Poloniæ Rex, Urbis portas Victor ingrederetur. Nihilominus Moschis propitia Numina, extremum averterunt inde exitium, unde ingens clades imminabat. Quippe Militi, ut arma, foris nobis quàm domi, utiliora potentioraq; in opulentissimas Moschoviæ ditiones promoverentur, nullatenus persuaderi potuit. Prædâ actâ è territoriis, Plefcovienfi & Magnæ Novagardiæ in profundiori Moschovia, Kobryniam Miles regredi decrevit.

Lithuani Kobryniam regrediuntur.

Rex novâ auctus victoriâ, in Oppido Glezbokie Moschoviticum Ablegatum audivit: at is jam liber metu, non pacem sed mediationem Cæsaream opponebat. Hæc eadem victoria parens erat illius felicitatis, quæ Vilnam Magni Lithuaniae Ducatûs, jam inde à GE-

Rex Vilnam recuperat.

DL

DIMINO Primo illius Conditore splendendam ac Civibus numerosam Metropolim, Moschovitico jugo vindicatam, pristinae libertati restituit. Sex illa annorum, mensium trium, dierum viginti quatuor, servitutum, sub Principe Moschoviae perpeffa, hanc demum diem anxii desiderii expectabat, quam victoriosus Rex, illam avito iure suam, à Moscho iniquo bello occupatam, novis victoriae titulis propriam efficeret. Favere desiderii Civitatis, gemitibusq; Captivorum Civium, Superi: post varios enim assultus, promiscuasq; Polonorum Moschorumq; caedes, tandem per deditiorem, Captivatumq; à suis Governatorem, Arx, & Vrbs in manus sui Principis devenere, die secundâ Decembris, Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo primo. Lugubris hinc in praesens tristium, lætorum olim, occurrebat imago: ob innumeras pæne ruinas, *Vilna Vilna quesita in media*. Iacebant magna mole dirutæ ædes, ædibusq; oppressi cum suis facultatibus Cives, vindicam gladium implorare videbantur: *Exoriate aliquis nostris*

nostris ex ossibus ultor. Exusta mœnia, direptæ,
tot Ducum laboribus collectæ ad splendorem
Civitatis opes, squalentia liquit Fana decor:
magnæ deniq; Urbis, nil visebatur, nisi magna
vestigia; omnia tamen in victoria habita.

ZERONSCIVS Confæderationis (uti
vocant) Marschalcus, qui suam ætatem armis
propè excoluerat, non jam Militibus, sed Du-
cibus belli par, etiam aliis exercendis, ad
arma cogendis, in aciem producendis, à VIN-
CENTIO CORVINO Duce absolutissimo,
artis bellicæ prima rudimenta se didicisse pro-
fitebatur, usq; adeò gratè studioseque; ut Eum
non fecus ac Parentem, singulari veneratione,
æquè liberum ac Captivum recoleret. Idcir-
cò Rege consulto, suavitè Militi in eundam Le-
gationem ad Magnum Moschoviæ Ducem, quâ
Generalis sui hucusq; Captivi repeteretur li-
bertas: facilè persuasum ambitioso populo, u-
trumq; decorum fore, & Legationem ad Exter-
num Principem iniri Exercitûs nomine: & ad
sua postulata magnum Nomen liberum posse
pronun-

*Legatio
ab Exer-
citu ad
M. Mo-
schovia
Ducem
pro libe-
rando
Goscevia*

pronuntiari. VLADISLAVS SOKO-
 LOWSKI huic muneri idoneus à ZERON-
 SCIO delectus, Moscuæ non impigrè rem
 egit. Literas primùm Magno Duci inscriptas,
 in Cancellaria deposuit: (nam per modum
 supplicis libelli excipi hanc Legationem Mo-
 schis placuit, audientiæ gloriâ inter pares
 Solio reservatâ.) Tum colloquium cum Pro-
 ceribus super liberatione CORVINI, cõ-
 mutationeq; Captivorum Lithuanorum, absque
 omni litro, institutum. Cunctabundos Moschos
 compellavit: *rem geri cum Exercitu armis poti-
 ùs, quàm tractandis colloquiis assueto. Pacem itaque
 an bellum Moschi vellent? requisivit. Pacis con-
 silia probantibus, hanc nullatenus coalituram, re-
 spondit, ni ante omnia restituatur, destinatus pa-
 ci conficiendæ omnium votis CORVINVS.
 Si bellum? se eò usq; pro libertate ejus decertaturos,
 donec utralibet pars intereat.* Admissus ad
 CORVINVM, in cujus obsequio tenerior
 educatus: exceptusq; cum compluribus *Prista-
 vis liberaliori convivio, eadem Moschis impe-
 riosè*

riose repetebat. Interea postquam inibi, dextre ingentem literarum fasciculum sedili subiecisset, (re indicatâ) discessit. Diu super liberatione CORVINI deliberatum in Senatu, tum vindictam carceris perpeffi metuente; tum ambigente, ratamne eam commutationem Rex esset habiturus. THEODORVS RTISCZEW Marschalcus Ducalis Curiaë, post mediam noctem (omnia enim consilia, convivia, colloquia, noctu plerumque peraguntur Moscuæ) insperatè invisens CORVINVM, idem proposuit dubium, simul quòd Plefcoviensium & Nowogradensium agri, longè latèq; fumarent incendiis, & inter ipsa pacis consilia, bello à Lithuanis premi Moschoviam querebatur & exprobat: num non posset cum ZERONSCIO concludi armistitium? pro quo arte aut auro comparando, jam miserant Moschi Internuntium. Tandem alterâ nocte, apud se CORVINVM & Ablegatum, benè sperare iussit.

Subsequentibus diebus in Aula DOLGO-
 Ff RVKII

R VKII, Patronus domūs in praesentia RTL SCZEVII, STRESZNIOVII, ALMAZII, exorsus est orationem ad CORVINVM, jam serâ nocte hoc ordine. Primum omnium loquacissimè simul fastuosissimèq̃ extollebat sui Principis vires, potentiam, opes: tum fidem Procerum populiq̃ erga Principem. Quibus artibus res Moschoriticas, extra metum omnium Exterorum stare invincibiles, jactabundus exponebat. Principem suum Clementissimum, quanquam is validis confidat artibus, neminem metuat, imò omnibus Vicinis metuendus existat; nihilominus uti decet Principem Christianum, ait non abnuere pacis consilia, interventione Subditorum. Quod ut luculentius tum Polonia Regno, tum ceteris Vicinis testetur, insistendo Regiae declarationi ratione quatuor Campi Marschalcorum, CORVINVM liberum pronuntiare edixit, non tamen prius Smolensco dimittendum, nisi praedicti quatuor Mobiliviam sistantur. Quod verò incolumis servatus sis, quod liber, honorificè, non obstrictus iuramento, non infectus veneno, more Turcarum (inquit) sis abitu-

Prima
declara-
tio liber-
tatis 27.
Ianua-
rii 1672.

abiturus, Ducalis Clementia, aeternum eris exem-
plar. Hæc ab eo ad CORVINVM adje-
cta clausula. qui lætum nuntium nutu magis &
submissâ inclinatione, quàm verbis excepit:
absentiq; Principi, tanquam præsentis (morem
Gentis imitatus) egit gratias. Admissis in
conclave cæteris Concaptivis, eadem gratia
commutationis denuntiata. Per annos tres,
falsis super sua libertate rumoribus per Mo-
schos sparsis, indurati Captivi, vix quisq; satis
credere, se vera audivisse; potiùsq; vana somnij
ludibria, quàm veros libertatis nuntios se intueri
putabant. Quò celerius finem malis suis
imponeret CORVINVS, mensem & diem
commutationis præfigi postulavit. Hæc no-
cte primùm, non velut Captivus, sed Socius &
Amicus, (cujusvis enim Captivi apud Mo-
schos fors contempta & infima est) cum Pro-
ceribus, solenni cænæ à Patrono domûs in-
structæ admissus: quâ in longam noctem pro-
tractâ, ab eodem in conclave uxoris deductus
(id apud Moschos magni honoris & amicitiae
Ffz est

*Cenâ ex
cipitur a.
pud Doct.
horukiû.*

est indicium) eam splendidè vestitam, more illius Gentis, inter salutandum deosculatus, caliculo vini adusti, & linteolo acu picto, ab ea donatus, ante auroram domum rediit.

*Secunda
declara-
tio,*

Ibidem post, secuta efficacior à Principe declaratio: diesq; deducendis Captivis utrinq; ad confinia, decima septima Martij dicta. Iterum epulo exceptus, deductus ad conclave, antè dicto modo salutavit matronam, ejusq; nurum: quibus apparata munuscula crySTALLINA auro inclusa dedit; & vicissim à matronis pileum Moschoviticum eleganter acu pictum accepit.

Moschis magnâ hilaritate gestientibus, cò quòd Lithuani, apud Polonos & Tartaros receptum litri usum detestarentur, SOKOLOVSCIVS datâ valedictione CORVINO, Moscuâ dimissus. Dono accepit à Principe aliquot Captivos, & quidem ex familiaribus CORVINI, duos. Præter publicè scriptas, porrecta SOKOLOVIO clàm scheda: alias LIPNICIVS & SVCHODOL-

DOLSCIVS globulis inclusas; IOAN-
NES DOMASZEWSKI vino adusto im-
mersas, cerâ & plumbo involutas, in Patriam
deportârunt. Libertatis declarationem

*Variis
artibus
schedula
mittun-
tur in
Patriam*

Sibi datam, ut quàmprimùm ad ZERON-
SCIVM perscriberet CORVINVS, ius-
sus, adjectis rationibus, quarum maxima fuit:
*ne inter Gentes brevi amicas futuras, sanguis in-
noxius funderetur, bellaq; gererentur*

nullo habitura triumpho:

sic enim inclinatis ad pacem Moschis, per no-
vas offensas recrudescerent animi: conveniens itaque
esse, ut armistitio quàmprimùm facta, unusquisque
se ad sua recipiat, & tam commutationi Captivo-
rum, quàm ulterioribus pacis consiliis pacatus relin-
quatur locus. Hæc monita suspectam redde-
bant Moschorum declarationem: idcirco has
Præcautiones Regi Poloniae, & Cancellario,
aliasq; ZERONSCIO transmisit.

*Ablegatus Moschorum Nestreion in Poloniam,
& alius ad Exercitum Lithuanicum, proximis
diebus expedietur. His injunctum est, ut impetum
belli*

*Præcau-
tiones in
Patriam*

belli Poloni sistant, eó usq; donec Legati (jam in Tauricam expediti) Principes Tartarorum, largitionibus corrumpant: ut inde vacui bello, facilius clades acceptas, Nobis rependere possint.

Meam libertatem cunctantur metu vindicta, neque Nostri à Me de statu rerum Moschoriticarum, de belli & pacis rationibus edocti, gravius illis incumbant.

Armistitia nulla admittite.

Legationes dolosas verbis duntaxat inanibus expedite.

Ne socios belli à Nobis avellant, providete.

Promissis, quàmvis millies iurent, (nisi sint extremè pressi) non credite.

Libertatem Meam ante Tractatus urgete: hæc enim Vestris rebus, & informationi, plurimum deserviet.

Captivos Moschoritica Gentis, anticipativè non dimittatis, moniti indiscretione; hos verò, qui pro Mea commutatione sunt destinati, diligenter cavete, ne Graci, Armeni, Polocenses & Smolëscenses, clandestinè auferant: pollicentur enim hæc in re su-

am operam Principi.

Prædicti Graci &c. omnes Præcautiones hæc
perferunt.

Armistitium negate: bello extorquebitis glorio-
sam & opulentam pacem.

Quamdiu bellum in hosticum non profere-
tis, pacem nullam sperate.

In consilio Moschorum, bellum decernitur; cujus
belli etsi nullum aliud premium foret, hoc suffice-
re credunt, si diuturno bello, Nos imbelles, fractos
& exhaustos, bello Moschorum inferendo impares,
reliquerint: sua verò intacta conservaverint.

In eliberandis Captivis, quàm sint pertinaces,
hinc patet, quòd etiam nunc in Sibiriam debebantur.

Obviate ne Captivi vendantur.

Si post cladem ad Konotopum, Polonkam, Czud-
noviam, Kuzliki, bellum intulissetis, Moscu
premium Victoriæ Vestræ fuisset.

Credite, ac si Me jurantem super hæc omnia
audiretis.

Adjuro Vos, ne hæc & alia divulgatis, foret e-
nim id Mibi, Meisq; capitale.

Pluri

Plurimæ aliæ præcautiones, variis artibus (non absq; discrimine vitæ) transmissæ in Poloniam; quas recensere cùm longum esset, consulens brevitati, omitto. Pro corona hujus capitis, siquidem toties Magni Principis fecimus mentionem, facturum me rem non ingratham posteritati existimavi; si Personæ Ducalis dignitatem, potestatem &c. & moderni Principis ALEXII dotes & attributa quædam breviter perstrinxero. Vires, potentiam, alibi innui. Populos quales suo imperio habeat subjectos, infra attingam.

*Prin-
ceps N. o.
s. borvia*

est

*Lex vi.
740*

Imperium illud (quàmvis inter Coronationis ritum, aliqua appareant vestigia liberæ Electionis,) nihilominus est hæreditariæ successionis atq; Monarchicum. Solus ipse Princeps arbiter est pacis & belli, vitæ & mortis. Leges hucusq; nullæ scriptæ habebantur, ac quàmvis sub præsentis Principe aliquæ sint conscriptæ, ipse tamen eas immutat pro libitu Clero & Regno imponit leges, indicit sacra.

Principis potestas, Divinæ vicaria in ter-
ris,

ris, summâ veneratione recognoscitur coliturq; . Communis opinio est, Principem pro omnibus orare, sufficereq; ejus solius orationem pro omnibus subditis.

Omnia præmia, & poenæ, edicta, sancita, edicuntur Nomine Magni Principis, etiam in remotissimis regionibus. Ii qui castigantur, Magnum Ducem inclamant.

*Vbique
presens*

In bellis nunquam accingit frameam, sed longus ordo armigerorum (*Rinda* dicitur) antefert suam pharetram, arcum, sagittas, frameam, clavam, vexilla &c. &c. Hâc ratione innunt, quòd Princeps neminem metuat; Subditum verò unumquemq; pro Principe occumbere oporteat.

*Inermis
in bellis*

Locus ejus residentia Moscu est: hinc aliò non facilè movetur; ad bella rariùs procedit; & non nisi validis copiis præmissis.

Epulo excipi, aut muneribus donari Principē, rem indignam judicant omnes: donare, vestire, alere, Principis virtutes sunt.

Liberalis

Nomen Principis Sanctum est; nemini licet

cet eo insignire infantem. In foro audiveris
populum, in Nomen Principis jurare; eleemo-
synas pcti, faciliusq; obtineri, quàm si DEI
Nomine petantur.

Domus
Regna-
trix.
Vxor.
Filia.

Ducissam (quàmvis rarissimè compareat) in-
tueri, nec licitum nec securum. Filiae Duca-
les, ne claritudinem Regnatricis Domûs in
subditorum domos ferant, nemini nubunt: ne-
minem vident; à nemine videntur, si parem
sexum excipias.

Vxor Principi non petitur ex alieno Re-
gno, sed ex subditis legitur.

Tributa

Monopolia & tributa pro suo quidem bene-
placito, tamen prævio consilio & consensu
Procerum, Princeps instituit. Salis, vini adu-
sti, pellium omnis generis, Magni Ducis mo-
nopolia sunt. Tributum penditur quotannis,
ita ut appretiatis omnibus, è cujusvis bonis mo-
bilibus & immobilibus, quinta pars ad Fiscum
Ducalem referatur. *Pietina* hoc tributum nun-
cupatur: nec exigitur nisi gravi bello. Præte-
reà ex adaequatione equorum, hyeme magnum
pondus

pondus argenti colligitur. Ex solo vino cremato, crediderim in Fiscum redigi ex toto Imperio, ad minimum decem milliones: cum me præfente, pro quarta parte anni allata sint ex Magna Novagardia 50000 *Rubellorum*. Portorium Archangeli & Astrachanicum, ob continua cum exteris commercia, ingentem thesaurum ærario Ducali inferunt. Præterea pelles Ducales, aliæq; merces omnis generis, ad portus devehuntur.

*Rubi
valet
quinq;
florenos.*

Hinc solus Princeps opulentus est, cæteri egeni: solus Princeps liber, cæteri se vilissima ejus mancipia profitentur. Ejus potestatis sunt subditi, æquè ac omnes fortunæ subditorum.

Auri & argenti fodinæ, non habentur in tota Moschovia; sed externa moneta transformatur in Moschoviticam, (est autem oblonga, signata equite cataphracto) ne exportetur extra dominium.

Moneta

Principis moderni ALEXII MICHAYLOWICZ etiamnum in pueritia sceptrorum

Gg2

capax

capax indoles, corporisq; ad regnandum nati
 Majestas emicuit, eademq; per plures annos ad
 graviolem ætatem provecta, formatam à natu-
 ra, avitis sceptris manum admovit. Evivis e-
 nim cedente Patre MICHAELB FIE-
 DOROWICZ anno ætatis suæ decimo sex-
 to, hæreditarios Imperij fasces occupavit. Ma-
 gna, ab eximia munificentia & pietate in cæ-
 lites, Nomina promeritus, *Blahoczestiv Postnik,*
Milostennik, Mulebnik &c. id est Clemens, le-
 iunans, Pius, Eleemosynarius, appellabatur.

Anno
 1645. 15.
 Julij.

Anno millesimo sexcentesimo quadagesimo
 quinto in more habuit adire Eremitam quem-
 dam, annis triginta in solitudine delitescen-
 tem: inde post multa cum eo colloquia Moscuam
 redux, retulit Majestatem atrâ melancholiæ ne-
 bulâ confusâ. Eam mutationem Principis aliis
 mirantibus, aliis perspicaci suspitione interiora
 animi perscrutantibus, nil propalare voluit ex
 his, quæ ab homine solitario acceperat: nisi
 quod illi quædam eventura prædixerit.

Est Princeps cum primis pietati dedicatus,
 duris

duris jeuniis se macerare, festosq; dies in Ec-
 clesia, etiam nocturnis vigiliis ducere solitus.
 Quotannis ad sepulchrum SERGII, in
 Templo Sanctissimæ Trinitatis, duodecimo ab
 Vrbe miliari situm, pedestrem in Octobri pe-
 regrinationem suscipit. Crebrò sub seram no-
 ctem publicos carceres adit in Persona, ibi-
 demq; propriâ manu numerosum aurum in e-
 leemosynas profundit. Æris alieni reos, &
 ob hunc solum reatum carceribus inclusos li-
 berat planè innumeros, integris aut mediis
 debitis in se transcriptis. In Polonæ & Li-
 thuanæ Gentis Captivos perquàm clementē se &
 munificum exhibuit: quin & de Majestate Duca-
 li remittens, adiit eorum sæpenumero carce-
 rem in persona; ibidemq; post liberalia dona,
 alios libertate donabat, alios magnifico epulo
 consolabatur. Clementiam (quæ propria Prin-
 cipum virtus est) cum lacte illi natura instil-
 lasse videtur: nihilominus omnibus amabilis e-
 jus moderatio animi, perversis Procerum ra-
 tionibus (ut communiter Principum geniū
 male-

consiliis malefactorum in deterius trahuntur)
 corrumpitur. Populos deditione acceptos
 Dubrownæ, & Vitebsci, & contra fidem da-
 tam, Moscuam abductos, Patriarcha & Proce-
 res è vivis tollendos destinaverant, edictum-
 que à Principe extorserant Anno millesimo
 sexcentesimo quinquagesimo quinto, Martiæ
 eorum in obsidione tolerata infensæ virtuti,
 suæ inter oppugnandum ignaviæ. Sed cùm id
 interventione Ducissæ M A R I Æ, piissimæ Prin-
 cipis, innotuisset Principi, immutatum decre-
 tum; necisq; author *Mitostawscius*, convulsâ bar-
 bâ & capillo, castigatus. Sic bonarum artium
Tacitus Principes, quandoq; sordidis ministrorum sedantur
 artibus.

Vino omniq; potu abstinet.

Consilia. Consilia seriò, solidè, pro dignitate &
 commodo suæ personæ & Gentis, (cùm sit
 Princeps suæ Patriæ amantissimus) instituit.

Legatio
pop.

Legationes longinquoires ad Exteros, qual-
 dam causâ promovendæ gloriæ, sui Gentisq;
 Moschorum Nominis; quasdam quòd ejus ne-
 goti-

gotiis expedirent, plurimas ac splendidas instruxit. Præter Polonos, Svecos, Tartarosq; confines; Romam, Viennam, Constantinopolim, in Hispaniam, Galliam, Venetias, Florentiam, in Angliam, Daniam, Hollandiam; ad Magnum in Asia Tartariæ Sinarum Kitaiæque Pelingam Imperatorem, Legatos quos par est, cultu splendidissimos, expedit.

Institia, nullo personarum discrimine, poenâ & præmio ab eo colitur religiosissimè: cum merito retrahi oporteat ad servitutem; ut metu cœrceantur, quos, beneficia non mutavissent. Nullum benè meritum videris, etiam vilissimum quemque, absq; debito virtuti præmio; ut & rarò neminem fontem impunè discessisse. *Woie-* *Institia*
wodas biennales tantùm in præsidiis esse voluit, ut aliis emeritis munus Administrationis contingeret. Ingenii capacitatem, quâ omnes tum belli tum pacis artes, apprimè complexus est, antea octi anni probârunt; cum potentissimis eodemq; anno contra Polonos, Lithuanos Svecos, Tartaros, Kozacos, Kalmycos, suosque rebelles *Tacitus*
Peritia
belli &
Status

belles Beszkircenses, bellum gesserit: hisq; copiis deletis, alias suffecerit: cùm decennali bello decertaverit, non intra suam Patriam, sed in hostico: cùm in externo solo firmaverit præsidia, cùm vicinorum consilia perspecta & explorata (imò prodigaliter emptâ fide) possederit.

*Guber.
ratio.*

Gubernandæ Reipublicæ firmandæq; potentia formam, à Turcis derivavit: totam potentiam in peditatu, contra subitanè effrenem populum, reponit. In hunc usum, viginti Legiones Prætorianorum peditum, (*Prykazy* vocantur) corporis sui custodes in Vrbe, instruxit: cùm à Patre non nisi quatuor accepisset. Eorumque vi, stipendiis, & muneribus emptâ, utitur ad retinendam, proni in rebellionè, populi fidem. Chinesium exemplo confinia Tartarica, vallo ad ducenta miliaria deducto munivit: quo Tartaricæ incursiones, dato campanarum signo, per vulgi concursum arcentur; armaq; procul habentur ab Vrbe ejusmodi Præsidio; quæ Patrum memoriâ cervicibus

cibus impendebant.

Populo sub gravi pœna interdixit usu tabaci: ebriosos, mimos, & scurras, otiosum scilicet & vitiosum hominum genus (quibus prona invitium ætas, primas hodie in Aulis admiffiones concedere affolet) & animo & aulâ proſcripfit; barbarum illum in populo morem, quo cultris ſeſe confodiebant, ſuſtulit; gravi interdicto ſecuritatem publicam in Vrbe, noctu incedentibus providit.

Famam honoremq; Regum Sacroſanctum eſſe voluit: hinc belli etiam tempore, contra hoſtes Reges populum certare conviciis, ſub pœna chordarum prohibuit.

Filius ſuus ALEXIVS ALEXIEIEWICZ, & poſt THEODORVS ALEXIEIEWICZ, contra veterum Principum morem, literis Latinis, Polonicis, Germanicis, antequâm populo præſentarentur, imbuti. Prior præſentatus ſolenniter ætatis anno decimo quinto. Anno milleſimo ſexcentefimo ſexageſimo ſeptimo. Alter milleſimo ſexcentefi-

Hh

mo

mo septuagesimo quarto. primâ Septembris. ætatis decimo quarto, antehâc populo incogniti. De SIMEONE supra innui. Eorum itaq; ac totius Gentis usui, donari fecit Moschovitico idiomate, ex Latinis & Germanicis complures libros politicos, ac de re militari. Vsum linguæ Latinæ Kioviâ Moscuam transferbat: sed renitenti populo per supplicem libellum (seu quia plerumq; preces ejus populi in furias & arma desinunt: seu ne literis excultus populus, politici Dominiij genus ambit, atq; ad libertatem, quæ literatarum mentium corona est, per proculcata Monarchiæ jura eniteretur) facilè præbuit assensum. Multi privatim Latinam addiscunt linguam, publico bono servituri.

Aucupii supra modum deditus. In hunc usum ingenti sumptu aucupia ex Persia, Anglia, Sibiria, advehuntur. Canum venatione minùs impensè delectatur. Aucupiorum Præfectos quadraginta instruxit, eorumq; auctoritatem, parem intimis cubiculariis esse voluit.

Cum

Cum verò in Regno suo ab omnibus metuitur, ipse quoq; metu non caret; hinc plurimos inter populum, inter peditatum, ac inter ipsos Proceres, alit exploratores. Hâc arte supprimuntur exterminanturq; seditio- nes. Extorsit id, Gentis vitium, rerum novandarum avidissimæ.

Quales verò populos sibi habeat subiectos, alibi innuam.

Obiit tandem Anno millesimo sexcentesimo septuagesimo sexto. Die nonâ Februarii.

C A P V T V I I I .

CORVINVS Moscuâ liber in Patria recipitur.

Anni hujus initium, **V I N C E N T I O** **C O R V I N O** libertatem; exitus stupendum orbi, dolendum Patriæ, feræ memorandum posteritati, exitium tulit: cùm servatam inter tot ærumnas ac calamitates in terra aliena, in medio hostium, vitam, in Terra sua, domi, in corde Patriæ abstulisset. Trahebant jam ad feralem terminum brevi rumpendavi-

tæ stamina, tacita fata, ubi vindicata è turpi
 servitute libertas, aureum neo-natæ felicitatis
 filum ordiri videbatur. Nam præterquàm
 quòd jam quatuor Procerum conviviis, interfu-
 it CORVINVS, quòd Austriacos Legatos
 convenire, eorum proposita audire de media-
 tione; atq; ibidem epulari concessum; præter
 solennem libertatis declarationem; Epiphaniæ
 insuper die, pompæ sacræ videndæ causâ, su-
 per mænia Castelli *Kremlgorod*, deductus, præ-
 tereuntem Principem è proximo venerari, per-
 missus est. Eo die post solis occasum, mos
 est consecrari solenniter flumen (*Jordan* di-
 citur ille mos.) Quadratum itaq; ex asseri-
 bus super glaciem, securitatis & ostentatio-
 nis gratiâ erigitur theatrum. Quingenti
 Prætoriani pedites, veste rubrâ remotius à
 theatro in quadrum dispositi, singuli gerebant
 accensas faces. Ad alteram ripam fluminis,
 peditatus sub signis collocatus; & decimo cuiq;
 fax data. Profundiori nocte movit è Cathe-
 drali Ecclesia, processio hoc ordine. Porta-
 bantur

bantur ingentia vasa argentea, sacratio flumine implenda pro Principis usu: sequebantur pueri, cruces & labariola ferentes; quos Cle-
 rus numeroso agmine, splendido apparatu subsecutus. Principem anteibant Proceres, aureâ veste insignes. tum ipse Princeps coronâ capite, sceptrum manu gerens, magnæ Pars maxima Solennitatis comparuit. Ponè MI-
 ŁOSŁAWSCIVS. Sequebatur ingens numerus Aulæ promiscuè gradientis, inter quos equus Principis ductus, tum carpentum egregiè veluto rubro instratum, quod unus itidem equus Turcicus trahebat: cuius caput superbum ac decorum pennæ reddebant Struthionis. Postquàm sacris flumen imbutum est, eodem ordine redibat Ecclesiastica pompa. Principi transeunti CORVINVS appropinquavit. Eum iussu Principis ALMAZIVS Cancellarius, formato ad humanitatem vultu hisce verbis compellat. *DEI Gratia Magnus Dominus, CAR, & Magnus Princeps ALEXIVS MICHAŁOWICZ &c. &c. te*
 VIN-

tæ stamina, tacita fata, ubi vindicata è turpi
 servitute libertas, aureum neo-natæ felicitatis
 filum ordiri videbatur. Nam præterquàm
 quòd jam quatuor Procerum conviviis, interfuit
 CORVINVS, quòd Austriacos Legatos
 convenire, eorum proposita audire de media-
 tione; atq; ibidem epulari concessum; præter
 solennem libertatis declarationem; Epiphaniæ
 insuper die, pompæ sacræ videndæ causâ, su-
 per mænia Castelli *Kremlgorod*, deductus, præ-
 tereuntem Principem è proximo venerari, per-
 missus est. Eo die post solis occasum, mos
 est consecrari solenniter flumen (*Jordan* di-
 citur ille mos.) Quadratum itaq; ex asseri-
 bus super glaciem, securitatis & ostentatio-
 nis gratiâ erigitur theatrum. Quingenti
 Prætoriani pedites, veste rubrâ remotius à
 teatro in quadrum dispositi, singuli gerebant
 accensas faces. Ad alteram ripam fluminis,
 peditatus sub signis collocatus; & decimo cuiq;
 fax data. Profundiori nocte movit è Cathe-
 drali Ecclesia, processio hoc ordine. Porta-
 bantar

bantur ingentia vasa argentea, sacrato flumine implenda pro Principis usu: sequebantur pueri, cruces & labariola ferentes; quos Clerus numeroso agmine, splendido apparatu subsecutus. Principem anteibant Proceres, aureâ veste insignes. tum ipse Princeps coronâ capite, sceptrum manu gerens, magnæ Pars maxima Solennitatis comparuit. Ponè MIŁOSŁAWSKIUS. Sequebatur ingens numerus Aulæ promiscuè gradientis, inter quos equus Principis ductus, tum carpentum egregiè veluto rubro instratum, quod unus itidem equus Turcicus trahebat: cuius caput superbum ac decorum pennæ reddebant Struthionis. Postquàm sacris flumen imbutum est, eodem ordine redibat Ecclesiastica pompa. Principi transeunti CORVINUS appropinquavit. Eum iussu Principis ALMAZIVS Cancellarius, formato ad humanitatem vultu hisce verbis compellat. *DEI Gratia Magnus Dominus, CAR, & Magnus Princeps ALEXIVS MICHAŁOWICZ &c. &c. te VIN-*

VINCENTICORVINE GOSIE-
 WSKI &c. querit, uti valeas?. Humili submis-
 sione, pro sua præsentî fortunâ egit grati-
 as, Seque liberaliter Ejus gratiâ provisum iri veve,
 licet debili valetudine, respondit. MIŁOSLA-
 WSCIVS quoq; per quempiam Ducalem Auli-
 cum, (quos omnes habebat ad nutum obse-
 quentissimos) de valetudine, & num Medici
 eum crebrò adirent, eiq; obsequerentur, requisivit.
 Actæ gratiæ; crebrior Medicorum cura expe-
 dita. Eâdem nocte ad Cancellariam vocatus
 Samuel Medicus, cui GOSIEVIANÆ va-
 letudinis serîa cura injuncta. Tot igitur Ma-
 gni Ducis, Procerum, populiq; favores incre-
 dulos Captivos, jam majori spe libertatis ale-
 bant. Sed & alia accelerandæ libertatis, a-
 lieno casu, divinitùs allapso occasio.

Postquàm militare imperium, belliq; Impe-
 ratorum authoritas ad ZERONSCIVM
 devenisset, atq; solutus imperio Miles, otio
 marcescere cœpisset, ferro & igni omnia va-
 stant. MICHAEL PAC & STEPHA-
 NVS

NVS CZARNECKI, Moschorum ditio-

ni subjectum Branscensem agrum invasere.

Aliâ parte Tartari Siewscum circa & Kara-

czoviam populabundis agminibus effusi, ingen-

ti collectâ prædâ in Tauricam abigendâ. Tre-

pidatum est in Vrbe: sed quia id bellum cum

hyeme solutum iri sperabatur, minùs Vrbi,

(quam semper impensius tueri mos est) me-

tuebatur. Emissæ Moscuâ equitum aliquot tur-

mæ ad explorandum; mandatmq; cunctis eti-

am externæ nationis militibus, vt ad pri-

imum belli signum omnes equum conscendere

parati essent. W O R O T Y N S K I contra

Tartaros Dux destinatus. Provincia hæc R O-

M A D A N O W S C I O fuerat demandata,

sed is decubuit, animo potiùs quam corpore

infirmus. Prædâ gravis (nam 50000 homi-

num abducta censebantur) redibat in Tauri-

cam Tartaricus miles: cumq; liberiùs præ-

das agit, villas exurit, ab insequentibus Mo-

schis circumvenitur, cæditur, militibus aliis

cæsis, aliis quâ datâ viâ in fugam dispersis,

Kniaż

Michaél

Pao Sto-

phanus

Czarne-

oki in

Moscho-

viam ir-

rumpunt

Tartari

invadunt

Moscho-

viam

Kniaż

Szyrym

captus

Moscuâ

moritur.

Kniaz Szaryn Hanorum Krymensium stirpe progenitus, vivus in potestatem Moschorum venit, Moscuamq; deducitur. Illuc est melancholia ortâ febris correptus, ejusdem *Samuelis* Medici Angli curæ committitur: sed potentior erat vis morbi, quàm ut artibus Medici superaretur. Moritur ergo is magnæ spei Captivus, cujus commutatione SZEREMETHIVM est Taurica infallibiliter repetendum Moschi sibi persuaserant, & Captivus promiserat. Mortis culpa, à MIŁOSŁAWSCIO tota in Medicum devoluta: Medicus verò indignabundus, suam prostitui operam, lædi reputationem, questus: Moschorum morem in tractandis, includendisq; minùs salubri loco Captivis, incusabat, atq; idem primo verè eventurum GOSIEVIO, cum aperientibus sese venis terra, apertum iri omnes in eo morbos, eoque ipso accelerandam mortem, spondit. Consternatus hæc Medici sententiâ MIŁOSŁAWSCIVS, eadem ipsâ horâ, dictum Medici ad Magnum Principem & Senatum detulit. In Senatu perpen-

*Nota in-
gens mo-
mentum
accelera-
te liber-
tatis.*

perpensum est, eo moriente, mori oportere in Po-
 lonia (prout ipsemet CORVINVS Moschis de-
 clara-verat) aut enecandos veneno quatuor Genera-
 les. Accelerandam itaq; ejus libertatem, ante veris
 initium, excludendumq; extra fines, quamdiu adhuc
 viveret, censuerunt.

Cæsilium

Dum hæc aguntur, Sueticus Legatus, eâdem
 ferè pompâ, quâ Cæsareani (nisi quod recen-
 tibus adhuc, necdumq; sopitis odiis restrictâ
 solennitate) Moscua excipitur: ad quam com-
 modè videndam à DOŁGORVKIO invi-
 tatus GOSIEVIVS, ex ejus palatio spe-
 ctabat, simul & epulabatur. Hæc ergo erat
 Majestas ingressûs Suetici Legati. Austriaci
 duobus Careis carpentis, rubro serico instra-
 tis extra Urbem egressi. Postquàm in cam-
 pis dextræ datæ, redibat in Urbem Moscho-
 rum numerosissimus Equitatus. Hunc secuti
 duodecim Suetici Cursores: Magister Aulæ e-
 ques argenteum Scipionem manu præferebat,
 (quem tamen postero die in Castello erige-
 re prohibitus est) quem comitatus alius duode-

Suecorû
ingressus
16. Febr.

cim similibus Cursorum ordo. Tum quinquaginta Nobiles Suetici, omnes *Careis* candidis equis vecti. Deniq; serico rubro instrata omnibus quatuor carpenta, Austriacorum duo; Succorum & *Pristavorum* simul, uno ordine trahebantur; ne quisquam antecedere vel subsequi (& hâc ratione quidem, aut aliis præcellere, aut contemni) videretur. Turba claudebat agmen.

Dolgorkius epulo & oratione exsistit Gossivium.

D O L G O R V K I V S prandium à Magno Principe submissum, (usitatum, imò magni honoris est Moscux, à Principe donari convivio) simul & fastuosam instruxit orationem. *Invincibiles vires sui Principis deprædicabat; ejusque clementiam erga deditos, Captivos, & similia.* Homo raucus (& ut verius dicam, solus in sua Gente Orator & miles.) obruebat aures. Fessus tandem, longâ plenâq; fastûs oratione, ab assidente **C O R V I N O**, *cur silet, seu quid ad dicta responderet?* requisivit. Eo agnoscente præsentem suam fortem, & rerum ignorantiam excusante, subridens, altâ voce sub-

subjunxit: Fore tempus quo ille loquetur, silebit
 Moschoria. Inerat omni ejus fortunâ, æqua
 magnitudinis, apud Hostem opinio. Eo die ad
 unam partem mensæ omnes GOSIEVIANI,
 sedecim Personæ, ex adverso autem Moschi
 accumbere, Moschorum more epulari, omne
 genus vini permixtim bibere, fumus coacti.
 Postquàm epulæ mensæq; jam maturâ nocte
 remotæ, deductus à Patrono domûs in con-
 clave fæminarum CORVINVS, jam ter-
 tiò Matronas salutavit, osculumque dedit.
 Cæteri unusquisq; vino adusto, è manibus Ma-
 tronæ hausto, absq; osculo recesserunt. Ali-
 am deinde familiariùs exorsus est Moschus o-
 rationem, quâ CORVINVM cum omnibus
 quidem suis deductum iri Smolenscum; sed reliquis
 detentis, illum, tribus quatuorve in comitatum da-
 tis, rectâ in Poloniam iturum, non expectatâ com-
 mutatione, per modum secreti denunciavit.
 Eadem declaratio sequentibus diebus selenni-
 ter in Aula RTISCZEVII per prædictos
 Proceres promulgata. *Adjecta simul Ducalis*

*Postre-
 ma decla-
 ratio per
 Proceres*

Clementiæ depradicatio, (similis illi, quam supra
 retuli) eum non obstrictū juramento, non infectum
 veneno dimittentis. Memorem tanti beneficij esse,
 & ut *PETRVS CHOWANSKI*, præter qua-
 tuor Generales, toties à Rege Polonia declaratos, di-
 mittatur, in vim gratitudinis procurare debere.
 Ibidem denuntiatum est, *ATHANASIVM*
NASCZOKIN, magni Legati nomine in Po-
 loniam iturum.

*Excubi-
 arum fer-
 vor desit*

Hic jam desit excubia-
 rum fervor: excubabatur quidem, sed jam ille
 pristinus rigor in admittendis extraneis elan-
 guit. Decem diebus ante discessum, post-
 quàm annos tres, menses sex, & Vrbe & o-
 mni cœtu hominum caruissemus, permissi su-
 mus per Urbem uno vel altero excubitore
 comite, securitatis Nostræ causâ, liberè spa-
 tiari: ita tamen in Vrbe hostili, restituta li-
 bertas movebat pedes, ut oculos & animos
 in solam Patriam converteret. Tenax nimirum
 Natalis soli amor, nihil extra Patriam vel vi-
 dere poterat, vel audire, quo retineretur:
 inter pretiosissima oculorū illicia, optabat vel

*Per Vr-
 bem com-
 meare
 permissi.*

sumi

Fumum de Patriis posse videre facis.

Sueticus Legatus cuidam è Polonicis Captivis secretò apud se demonstravit Legationis instrumentum: fuisse sibi à Corona Suetica *Corone Suetice studium proelib. rando Gostevio* injunctam curam GOSIEVIANÆ libertatis. Hanc quandoquidem Divino beneficio, suorumque curâ jam adeptus esset, gratulatus libertatem, suum propensum animum ejus officiis declaravit.

Decimâ quintâ Martii, actum est in consilio Moschorum, num ex dignitate Principis foret; quàmvis magni Nominis Generalem, Captivum tamen, ad conspectum ejus & osculum dextræ admitti. Plerisq; negantibus, DOLGORV. *Gostevium conspectum Magni Principis præmum admittitur* K I I sententia (maximè quòd Princeps quoq; videre hominem, hucusq; apud Se hospitem, & vix sibi cognitum, multis tamen nominibus deprædicatum, desideraret) assensientis: *id non tantum expedire, sed ex omni ratione requiri, placuit.* Finito consilio, ex Cancellaria *atq;* deductus est ad palatium, sex Officialibus Concaptivis comitatus CORVINVS. Vbi in *Liber pronuntiaturi.* conspectum Magni Ducis ventum est, Vice Can-

Cancellarius oblongam prælegit chartam in
 hæc verba. *DEI Gratiâ Magnus Princeps Car,*
& Magnus Dux ALEXIVS MICHAŁ-
ŁOWICZ, totius Magnæ, Minoris, Albaq; Rus-
sie Monarcha: aliorumq; multorum Regnorum, ter-
rarum Orientalium, Occidentalium, Septentriona-
lium Dominus, Hæres, Successor &c. &c. &c.
Tibi VINCENTI CORVINE &c. &c.
 facit denuntiari. De te eliberando scripsisse Re-
 gem Poloniae, literis allatis Magno Principi Do-
 mino Nostro Clementissimo, per Internuntium su-
 um millesimo sexcentesimo quinquagesimo nono, ut
 Tu, tanquam Legatus jure gentium liber, dimitte-
 reris. Ad has Magnum Principem Dominum
 Nostrum Clementissimum rescripsisse, Te jure belli
 captum, non Legatum detineri. Scripsisse & ali-
 is literis, eodem anno, idem postulatam. Suum verò
 Magnum Principem ac Dominum nequicquam à
 proposito discessisse. Deniq; scripsisse in vim propen-
 sionis suæ, salvo jure Tuæ Legationis, quatuor Cam-
 pi Marschalcos Gentis Nostræ, Se velle dimittere.
 Accessisse Exercitûs Lithuanici supplicationem pro
 tua

tra liberatione. Annuit itaq; IOANNIS CA-
 SIMIRI Fratris sui postulatis, & militari
 supplicationi, Teq; liberum pronuntiat. Tu verò
 jam nullibi in ditionibus Moschorum præpeditus,
 magnis itineribus perges Varsaviam: indeq; quàpri-
 mum quatuor Campi Marschalcos, Ducem OSIP
 IWANOWICZ SCZERBATTY: Ducem
 GREGORIVM KOZŁOWSKI; Ducem
 SIMEONEM SCZERBATTY; IOAN-
 NEM AKINFIEOW, remitti Moscuam:
 ac his superaddi PETRVM CHOWAN-
 SKI, procurabis. ATHANASIVS NA-
 SZOKIN Plenipotentiaris Legatus ad Aulam
 Polonicam, Te sequetur; cui præstari liberum ac se-
 curum passum; ceteris quoq; Captivis commutandis
 delegari Commissarios, facies. Post hæc admissus
 cum sex fociis ad osculum Ducalis dextræ,
 domum deductus est, Moschis passim liberta-
 tem gratulantibus: & nunc jam se liberum esse
 crederet? sciscitantibus. Is verò, ut firmi-
 orem dictis fidem præstare, Moschos mone-
 ret, (non quòd plenè crederet) tunc primùm
 credi-

credidisse se in libertate constitutum, cum data per Procures declarationes, conspectu & osculo dextræ Magni Principis, sunt confirmata, respondebat.

*Gostevio
movet
Moscuâ.*

Gens fallax aliàs, promissi fidem præstitit. Decimâ septimâ Martii Moscuâ movit CORVINVS. Quadringenti Captivi Moscuâ, de domo illa servitutis educti. Currus & quadrigæ CORVINO, cæteris verò singulis vectores, duoq; pedites, Smolenscum devehendis dati. Eodem vespere ad valedicendum DOLGORVKIO & RTISCZEVIO (nam uno ab Vrbe milliari, in villa Ducali Werebeïow, mirum in modum loco amæno sita, pernoctatum) revocatus, integrâ nocte comessari coactus est. Nunc in villa primùm cæteris Captivis adire CORVINVM licuit. Prope omnes contingendæ dexteræ sui liberatoris cupidi, adiêre. Nec unâ die terminata lætitia, sed per totum iter, gratissimis sermonibus, revocabant memoriam adeptæ libertatis.

*A Captivis
salu-
tatur.*

Decimâ octavâ Martii conspectui Urbis,
ex amæ-

ex amœnissimo monte Poklonna, situm ejus incomparabilem, speculatus, omnium præ libertate gestientibus animis, valedixit C O R V I N V S.

Moscua, sex aut septem milliarium ambitu vasta, generaliter in quatuor partes dividitur: scilicet Kremlgorod: estq; Castellum apprimè munitum, triplici muro & fossis, Ducali Residentiæ, & Patriarchali, præter quinquaginta Ecclesias, multorumq; Procerum domos, destinatum. Kitaygorod: estq; Civitas cincta muro, continens forum, officinas omnium mercatorum, Procerum, Nobilium, mercatorum domos, præter Ecclesias & plurima Monasteria. Bielgorod: estq; Civitas magnitudine superans utrâque: nã suo ambitu, prædictas completitur; cingitur albo muro & turribus. Zemlanygorod omnes prædictas Civitates, intra suam ovalem circumferentiam concludit: vallo ab extra munitur; estq; mansio ut plurimum peditatui Prætoriano destinata. Ecclesiarum

*Moscua
amplitudo.*

*Ej, splendor
est longinquus.*

ro: (uti sunt Soborna Cathedralis; Blahowieszczenia, Annuntiationis; Iwan Wieliki, turris Sancti Ioannis) omnes verò aliæ, albâ laminâ contactæ, de longinquo intuentibus, magnificum exhibent spectaculum. Cum enim Ecclesiæ quingentæ (â nonnullis mille) numerentur, singulis verò quinq; communiter tholi parvi sint superimpositi, splendorem reperiunt. Hæc legationi, facillè assentior: *Intuentibus (inquit) è longinquo Moscuam, videtur representari Hierosolyma: ubi verò intus ventum est, reperitur esse Bethleem, quod vocabulum in Germania significat Civitatem paupertatis: humilibus enim & fordidis impletur castris. Habet & alios extra mœnia plurimos vicos, aulas, villas Principis, mirum in modum situ amæno, Werebeïow, Kôlomensk, Siemionowsk. Monasteria item aliquot muro & turribus, per modum Castellorum, cincta, & defensioni idonea. uti sunt Dewiczy, Spasow, Alexieïow. Vectorum villæ quàm plurimæ; adeò ut numerentur Moscuæ vectorum 5000.* (crede-

In Viagi di Moschoria lib: 2.

(crederem in toto Regno.) Vnusquisq; tunc pro singulis equis è thesauro numerabat stipendium decem aureorum pro anno. In quem usum singuli villani contribuunt tres *Kopiikas*. Obligantur verò ad omnes vecturas in publicis negotiis præstandas. Diebus singulis ante Cancellariam centum vectores cum curribus & equis excubant, ad repentinos casus. Si pluribus sit opus, mirum dictu, quantâ promptitudine & obedientiâ, equos subministrant, aut ipsi iter conficiunt. Similes villæ vectorum, ferè omnibus Oppidis notabilioribus adjacent, commutationi equorum deservientes. *Cursor*es verò ad prodigium celeriter conficiunt iter. Vilmâ ducenta milliaria conficiebantur novem diebus: contigit uni, octo diebus prædictum iter confecisse, idcirco præmio donatus, cæteri verberibus affecti. Cursori publico è via deflectere pro uno quadrante, crimen inexpiabile. Adjacent quoque Vrbi, villæ, *Pańska stoboda*, Polonorum colonia: item *Kukuy*, non inelegans, sed muniri non

permissa Germanorum colonia: à nonnullis dicitur *Krasna Sloboda*: de hac aliqua subiicienda.

Kukuy. IWAN WASILEWICZ *Car*, in Suos crudelis, idcirco ab illis metuens: in alienigenas benignus, postquam ex Germania, Anglia, Livonia, ad incolendam Moscuam complures evocâisset, qui præsidium illi domi & foris mercede facerent, Urbem incolere, ac intra mœnia è cocto lapide domos erigere permittit. Totâ Vrbe præter Principis palatium, Moschis tantùm unicam domum è muro incolentibus, advenas (Ethnici omnes extranei apud vulgus tunc audiebant) murum inhabitare, torvis oculis intuebantur Moschi. Proceres inuito consilio cum Patriarcha, edicunt: *Quandoquidem Germani suas devotiones intra Urbis mœnia decantant: illicitis diebus carne vescuntur, imaginibus sacris & Crucibus, per contemptum, non exhibent cultum, Moschos ad suum obsequium, & esum carniùm cogunt: Idcirco Patriarcha iudicans id perniciosum legibus Religionis, Germanos extramœnia Civitatis presenti edicto migrare iubet.* *Magnus*

*Edictu
Patriar-
chale.*

gnus verò Dux, extra mania concedit agrum, domibus & Ecclesia erigenda commodum: domus verò in Vrbe intra sex menses vendi jubentur. Proscripti Vrbe, & ne vel vestigia sui incolatùs supereffent, domus proscriptorum vili pretio non tam venditæ, quàm amissæ. Exinde gravissimis conviciis *Szysz na Kukuy*, etiamnum vexantur. Princeps, penes quem hodie summa Imperij est, relaxavit decretum; plurimis extraneis concessio in Vrbe incolatu: immò magnis promissis hucusq; ex Germania, Anglia, Svecia, Scotia, Hollandia, incolæ evocabantur: at in Urbem receptis reditus in Patriam difficile anteactis temporibus concedebatur: sed & hic rigor præfenti ævo remissus, plurimis hinc inde liberè se transferentibus.

Abrahamus Lesle Scotus natione, emeritus in Moschovia Colonellus, cum suis in Patriam reditum apparabat; qui cum in Moschoviarationibus nullis, nullis precibus & pretio potuisset retineri, sequenti captus stratagemmate, mutare consilium, vitæq; reliquum in Moscho-

Difficilis è Moschovia dimissio.

schovia agere, est coactus. Citatus ad Patri-
 archale Tribunal, ob contractas sacras à sua
 uxore imagines; poenâ capitis cum tota fami-
 lia damnatur. Producentur liberi, uxor, &
 ipse *Abrabamus*, scelus conjugis capitali suppli-
 cio sublaturus; nî ritu Græco & iterato ba-
 ptismate, crimen tollere eligeret. Vicit pri-
 orem Patriæ repetendæ sententiam, conjugis
 carissimorumq; pignorum amor, mortisq; præ-
 sentissimæ metus: suscepta Græco-Russica sacra,
 iteratus baptismus, lustralibusq; aquis extincta
 flagrantissima videndæ Patriæ desideria, demer-
 sa spes reditûs, & velut ex obliviosa Lethe,
 affinium, cognatorum, vicinorumq; perennis
 infusa oblivio. Simili formidine poenæ, ad Græ-
 co-Ruthena sacra suscipienda, est impulsus eti-
 am *Leo Lacefinius* Medicus, Romanus genere;
 qui ob suspectam cum Russa fœmina consue-
 tudinem, à Patriarcha, tanquam ethnicus ad
 poenam exustionis; solenni decreto vocabatur,
 nî ritu Græco baptizaretur. Mansit in Mo-
 schovia, iterato baptismo: nihilominus ritum

Gentis

Gentis detestabatur, nec aliud sibi placere a-
 jebat, nisi quod in hac Fide, omnia bona ope-
 ra, omnes preces (præter jeinia cru-
 da) solo signo Sanctæ Crucis concluderentur.
 Nullæ enim preces habentur præscriptæ,
 Crucis verò signum, continuo ferè usu, in con-
 suetudinem plerisq; venit.

His artibus, plurimi rebus Moschoviticis i-
 donci, in perpetuam trahebantur servitute.
 Incolunt hanc villam Germanicam militum
 Officiales, Medici, mercatores, opifices; inde-
 que non nisi de licentia Principis, aut Supre-
 mi Ministri Statûs, ad portum Archangeli,
 aut Plefcoviam commeant. Ibidem ad por-
 tam excubare solent Moschi, arcendorum cau-
 sâ inde ebriorum hominum: veriùs interno-
 rum moliminum metu.

Sunt & alij plures vici extra mœnia. Hos
 inhabitant Ministri Ducalis culinæ, illos Mi-
 nistri Stabuli, Hortulani, Provifores fructu-
 um Ducalis mensæ. Non fructus priùs venû
 ulli in foro exponuntur, quàm Principi fac-
 rint

rint præsentati. Qui primus ex suo horto primitias fructuum Principi obtulerit, pretium à suis vicinis persolvendum accipit, cæteri poenâ redigendæ ad Fiscum Ducalem pecuniæ ex fructibus perceptæ, mulctantur.

Cæterum quibus civibus, quo genere populi Moscua inhabitetur, breviter edoceo. Non vacat hîc describere dissitas moribusq; diversas illas nationes, in tam vastum Ducatus Moschovitici corpus esse collectas; quibus pro Deo, pellis equina aut urforum, arbore suspensa, Ethnicâ superstitione colitur: in cibum crudas carnes aliaq; à quibus humanus abhorreret animus, barbara proponit consuetudo. Sola Moscua, sedes memoranda Captivitatis Nostræ, historiæ præsentis objectum esto.

Moschorum populus subjectissimum se suo Principi, nec aliam in terris recognoscere Potestatem, nullius Procerum se metuere servitutem, fastuosè magis quàm verè gloriatur. Instar vilissimorum quidem mancipiorum, obsequium Principi, coactam venerationem Proceri-

*Gens
Moscho-
rum.*

cribus se debere profitentur; servilia tamen
 jam ingenia adeò prona sunt in seditionem
 & tumultum, ut pœna chordarum, non reme-
 dium ejusmodi intestinorum malorum, sed a-
 limentum videatur. Legatio Hælfatica ait:

Moschorum Gentem in libertate esse pessimam, in

servitute optimam: nihilominus quãdocunq; con-

volso Domini freno, servitus in vim apertam

furoremq; prorumpit, non tam contra Princi-

pem, quàm contra Procere debacchatur. An-

no millesimo sexcentesimo quadagesimo se-

ptimo. Magnus Princeps ALEXIVS MI-

CHAYŁOWICZ, ex consilio BORYSSII

MOROZOW, (qui tunc primis, in aula no-

vi Principis, officiis potiebatur) non de su-

prema, sed media Nobilitate, Filiam ELIÆ

MIŁOSŁAWSKI Ducalis thalami con-

libro: 53

Cap. 18.

*Tumul-
tus origo*

bernator, ex inope Theſaurarius, in Caſtel-
lum migravit: ubi dejectâ vetuſtiſſimâ domo,
dignum affinitate Principis, dignum ſuo nomi-
ne crexit palatium. Aulæ officiis adhibuit ſu-
os affines, homines novos, avidos, rapaces:
inter multos alios, rapinis aliisq; ſceleribus no-
tatos *Leontium Pleſceion, Czyszow, Tychonow,*
& *Trokanitow*: hi Magiſtratus, ut ſpolia ade-
pti, ignari ſumma ſcelera incipi cum premio, per-
agi cum periculo, populum monetâ, militem ſti-
pendiis, pretio ſalis fraudabant univerſos. Cõ-
poſuit quidem gregatim populus ſupplicem li-
bellum; ſed accessus Principis etiam redeun-
tis ab Eccleſia, per Proceres negabatur. Tan-
dem redeunti aliquando ab Eccleſia *Wſtretet-
skoy Monaftery*, numerofa occurrit multitudo,
vinoq; furorem & audaciam acuate, ſuppli-
cem libellum Principi non tam porrigit, quàm
intrudit. Equi Ducalis frenum violenter arri-
pitur, in media via ſtare jubetur Princeps,
querelaſq; quas ira conceperat, furor eloque-
retur, audire. Toto tumultu *Pleſceiorum ty-
rannis*

rannis sonat, confusisq; frendentis populi clamoribus, *Pleszeiorum* tyrannis accusatur. Molestis verbis ac Clementiâ, tumultuantis populi sopivit non extinxit furorem Princeps: nam cum nonnulli Procerum, populum plagis & equis in gyros actum, lapsu & sanguine fœdâssent, sopita flamma iterum in apertum erupit incendium. Furibunda plebs â verbis & contumeliis, ad ea, quæ impotens furor subministravit, arma se convertit. Calcanti pedibus lapides, manibus plebis in capita Magnatum jaciuntur: post gravia verborum tonitrua, ejusmodi secutam tempestatem Proceres fugâ evitant, atq; in Castellum se recipiunt: fugientes sequitur populi furor, querulusq; cum lacrymis clamor: unus omnium furoribus destinatus, ab omnibus reus accusatur, ad pœnasq; vocatur *Pleszeiorum*. Tumultus in populo seditionesq; non rarò ad solam magni pacificatoris Personam quiescere cessareq; compertum est.

--- *Magno in populo cum sæpè coorta est*

Ll2

6. *Iulij.*
Ingens
tumultus
Mosœus.

Virgil:
libro 1.
Sedi-
Æneid.

*Seditio, servitq; animis ignobile vulgus,
 Tamq; faces & saxa volant, furor arma ministrat:
 Tum pietate gravem ac meritis, si fortè virum quem
 Conspexere, silent; arrectisq; auribus adstant:
 Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.*

At conceptus in pectoribus Plebis Moschoviticæ furor, nec ipsius Magni Principis Personâ & verbis, (qui desuper populum alloquebatur) sedari, componiq; ad quietem potuit: ab ipsis undis flammæ concipere videbantur, pacatissimis Principis verbis, irritabantur magis quàm sedabantur seditiosi animi, tantâ pertinaciâ, ut nihil aliud nisi cædes Procerum ore sonare pectoribusq; omniû spirare viderentur. Domus Morozovii diruta, opes, & Icones sacræ direptæ: servitia de superiori fastigio præcipitata. Opes tantæ populo cesserunt in direptionem, ut pileus plenus margaritis, triginta imperialibus; par zebellinarû pelliû medio imperiali venderetur: sericum telaq; aurea, passim inter populum divideretur. (exercent enim Proceres per sua mancipia mercaturam.)

Idem

Idem evenit plerisq; Proceribus, in quos tumultuantem plebem, publicum aut privatum odium, commovit. Supremus Cancellarius delituerat inter subera & lardum, sed â propriis mancipiis proditus, inventus, occisus. Furere in populo seditione, oritur in Vrbe variis locis incendium: quo absumuntur omnia, quæcunq; albo muro *Belgorod* continetur. Vastum aliàs incendium in summum fere extendit vinum adustum, fractis doliis, populatrice flammâ correptum: hoc demùm suo genio commodissimum nactus vehiculum ignis, in Urbem & Castellum (nemine impetum inolefcentis flammæ continente; nemine propria tuente, sed omnibus seditioni intentis) instat rapidissimi torrentis volvebatur. Prodit interim è Castello Princeps: NIKITA ROMANOW Patruelis Ducalis, Vir magni Nominis, plebi gratissimus, moribus acceptissimus, ad componendos effrenes in populo motus, â Principe expeditus. Hic magnâ exceptus veneratione, tandem interrupto tumultu, denun-

denuntiat: *Magno Principi præcipuam curam esse suorum subditorum; atq; ubi paululum animi resedissent, administrationem iustitiæ de fontibus, & quæ statim tribui possent, concessurum, edixit.* A

populo inclamante Magno Principi, & Duci NIKITÆ, uti Patri suo, longævos annos, expetebantur prædicti fontes ad manus, omnium malorum authores. Discordi populo & gravioris motûs timore annuit Dux NIKITA, adjecitq; juramentum, neminem fontium, præter *Pleszeiovium*, in Castello reperi. Qui deditus, priûsquàm in conspectum populi, & locum supplicio destinatum adduceretur, continuis baculorum ictibus est occisus. Tractum demùm per lutum, calcatumq; cadaver, donec busto caput abreptum est: deniq; ab uno monacho affirmante, excommunicati hominis cadavere, sedatum iri flammâ Urbem hucusq; absumentes, in media incendia projectum. Vidisses sensim flammâ sedari, cum consumptione cadaveris. *Petrus Tichonow* duodecim inde milliaribus in Monasterio

rio Sanctæ Trinitatis repertus, inſſu Principis, octavâ Iulii Moſcuam adductus, abſq; ulla mora capite plectitur. Reſtabat MOROZOVIVS implacabili furore unicè ad pœnas expetitus: ſed quòd fugâ ſibi conſuluiſſet, pœna mortis in eum lata, & ab omnibus approbata. Prodiit tandem in publicum faſtigium Eobne Magnus Princeps: unde *Se velle populo impertiri gratias, tanquam univerſalis Pater omnium & Patriæ, profeſſus eſt.* Acclamante populo longævus annos, factòq; ſilentio, Princeps vultu cõpoſito, ſe reſolvit in lacrymas. Petiit deinde veniam MOROZOVIO, quem educatorem, tutorem, ſecundumq; Parentem nominabat. Populus manipulatim habito conſilio, altâ voce proclamavit: *DEVS conſervet Majeſtatem Veſtram incolumem & longævam, fiat voluntas Tua.* Actis gratiis, firmatiſq; promiſſis, reditum eſt in Caſtellum; publicumq; epulum â Patriarcha & â MIŁOŚLAWSCIO populo exhibitum.

Alter tumultus milleſimo ſexcenteſimo ſexage-

*Alter
sumultus
Anno
1662. 6.
Augusti.*

xagesimo secundo longè sævior, seiori quoq;
populi insolentiâ & rerum eventu, sopitus
est. Præsenferat jam Princeps, sub simulata
pace gliscentis seditionis latitare igniculos,
in magna paulò post erupturos incendia: id-
circò extra Urbem Kołomensci, venationum
prætextu, uno ab Vrbe milliari, septem mil-
lium peditum præsidio validus, cum Proceri-
bus commorabatur. In Vrbe octodecim mil-
lia sumunt arma: ex his decem armatorum
millia, pro ferendo sibi succursu, intra Urbem
relinquunt: sed hi projectis armis, ad expilan-
dos thesauros Procerum & mercatorum ma-
nus & animos converterunt. Octo verò mil-
lia inermes Kołomenscum processêre. *Suppli-
catum se Magno Principi venisse, arroganter ajunt.*
Principis in publicum prodeuntis, primus fe-
rociâ, prehensâ manu, imperiosè petebat tradi
*populo Miłostawscium, Rtiszewium, Chytrow,
Stresznior, Woratynski.* Causam requirenti
Principi, hanc edisserit: quòd eorum ductu &
consilio pax Polonica non coalescat, quòd moneta
cuprea

cuprea invaluerit &c. &c. Indignabundo, vul-
 tumq; vertente Principe, equites Poloni &
 Lithuani â fronte in seditiosos inveci, pedi-
 tatus ex infidiis, prælongis latifq; securibus
 (*Bardysze* vocantur) undiq; rebelles inermes
 â lateribus adoritur: non arma, non consilium,
 non fugæ locus supererat: pauci strictis præ-
 grandibus cultris, defensionem moliti, in flu-
 men Moscuam sese præcipitârunt. E tanto
 numero seditiosorum, seu securibus præcisi,
 seu vorticibus hausti, ad septem millia periê-
 re. Ab altera parte nonnulli desiderati, non-
 nulli cultris læsi. Mox ubi Urbem immanis
 cladis nuntius clamor attigit, decem millia re-
 sidui accurrunt: sed tantâ strage sociorum
 consternati, arma & seditionem deponunt:
capita sibi præcidi ultrô petunt supplices, seditio-
 nis authores duos ^{millia} ~~centos~~ produunt. Ex his pluri-
 mi acti in cruces, in flumen demersi, manus &
 pedes præcisi, in Sibiriam missi: omnes deniq;
 alij chordis cæsi, ferroq; ignito in facie no-
 tati, mercedem seditionis, infamiam, infami-
 Mm stigma-

*Seditio-
 forum
 clades.*

stigmatē in feditiosis vultibus exaratam, per Vrbes pagosq; circumlatam, etiam post sua fata superstitem mortualibus sarcophagis intulerunt.

Authores verò seditionum, quàm facile reperiantur, Moschorum Annales, & retroacti anni edocuerunt.

Anno millesimo quingentesimo nonagesimo septimo. *Boryssius Godunow* Comes stabilis, stirpem Ducalem clam sustulit veneno; imperiique dignitatem ad se traxit.

Anno millesimo sexcentesimo quinto, *Demetrius* dum appropinquat finibus Moschovizæ ex Polonia, absens à populo Magnus Dux proclamatus. Quis verò ille *Demetrius* fuerit, varii Gentium sunt sensus.

Anno millesimo sexcentesimo sexto, *Basiliius Szuyiski* in cædem *Demetrii* conspiravit, Imperiique insignia rapuit.

Anno millesimo sexcentesimo decimo. *Totius* populi consensu, *Szuyscius* in monasterium detruditur, Polonisq; deditur: nihilominus cum

cum duo apud Polonos comparuissent *Demetrii*, uterq; pro legitimo Principe à Moschijs acceptus. Alibi in Moschovia complures *Demetrii* suos sequaces habuère.

Anno 1613. VLADISLAO Poloniæ Principi, Magno Moschoviæ Duci rebelles, suffecerunt *MICHAËLEM FEDOROWICZ*.

Anno 1643. *Timoszko Ankudinow*, postquam conjugem, suorum scelerum indicem, domumq; exussisset, fugit in Poloniam, & filium se *Basilii Szuyfski* deprædicat. Ibi à mercatoribus, deinde Ablegatis Moschijs agnitus, ad *Chmielnicium* Kozacorum Generalem, Anno 1646. profugit. Illic quoq; agnitus, in Turciam profectus, Mahometismum amplexus est 1648. Inde in Italiam, deinde in Transylvaniam, & Sueciam, (ubi dum apud Reginam per Legatos Moschoviæ expetitur) in Livoniam, in Flandriam; *Wittembergiam* profugus, Lutheranismum professus est. Deniq; in *Halsatia* examinatus, Moschovitico Legato traditus, Moscuam deductus, quamvis objecta sibi for-

titer negaret, ac intrepidus mortem subiret, in quatuor partes dissectus, canibus in escam eiicitur.

Anno 1654. *Sołowiey*, cū Magnus Princeps in Lithuaniam movisset, hæreditatem Moschoviæ usurpare cœperat. Anno 1669. *Sienko Razin* Astrachaniæ Regnum, & quicquid Wolgæ validum adjacet, occupaverat.

Anno 1674, in Vkraina quispiam filium se Magni Ducis *Simeonem* jactabat, de quo supra. Sed hæc omnia in primordiis oppressa.

Explorato ejusmodi gentis genio, Senatus Moschoviticus, indeq; Principibus imminere metum, ubi ipsimet maximè metuuntur, optimè Urbani providit servituti: populum omnem in Vrbe degere statuit, ne in villas dilapsus, coetus & secretas consultationes iniret. Nemini ab Vrbe in suam villam proficisci licet, nisi prius facultatem, designatosq; dies pro reditu acceperit. Cæterum ne quid intestini motûs oriatur, metu, pœnarum acerbitate, & per accuratos viarum exploratores providetur.

*Cur Mo-
schi in
Vrbe pri-
maria.
sui terri-
torij vi-
vant? nõ
in villis.*

detur.

Contra calumniatores, in causa criminali, hic modus inventus. Primus accusator chordis cæditur: at hoc persistente in sua delatione, cæditur accusatus. Is verò, si triplicem chordarum pœnam toleraverit, negando crimen, (quod frequentissimè usuvenit) accusator reus calumniæ, acerrimè chordis castigatur. Et ne his quidem modis, sufficienter calumniis provisum est.

*Calu-
miato-
rũ pœna.*

Cuprea moneta præteritis annis ibi invaluerat: ejus cudendæ domi, privatim in antris & sylvarum latebris, plurimi usum contraxerant. Sancita igitur pœna, & executioni mandata, ut fontibus in guttur plumbum liquefactum infunderetur. Credisne cohibitam licentiam? minimè.

*Moneta
clandestinã.*

Chordarum pœna (vulgò *Knut*) diu notuq; exercetur; dicerem crudelem, nî ab ipsismet Proceribus audivissem, suæ Gentis insolentiam detestantibus, alio modo nequaquam coerceri posse. Virgjs autem (*Botagi* dicuntur

*Pœnarũ
genera.*

cuntur popularibus) quocunq; te verteris, Anlicos Principis & cubicularios (quàmvis ad ejus obsequii gloriam non nisi magna nomina, idq; ob merita parentum admittantur) in palatio; ad Ecclesias Clerum; in Cancellariis, in omnibus excubiis, in foro, in ædibus privatorum, publicè & privatim, tergo nudato, cædi videbis. Excubat in Castello ad puteum quendam publicum centurio: hûc adducti cæduntur continuò ferè ii, quicunq; intra Castellumuros, ausi fuerint verbum aliquod minus honestum proferre. Tantus in rudi illo populo ^{Honest.} Majestatis amor. Quàmvis pœna hæc gravis sit, nihilominùs pro levi apud Moschos æstimatur. *Knut* cùm sit quandoq; ferreis filis intertextus, utcunq; maiori colitur metu. Sibiriam maximè metuunt, quòd opibus exuti, ab uxore & amicis avulsi, rariùs revocandi in Patriam, ad perpetuos labores damnentur.

Tabaci usus interdictus. Videres indies plurimos, præcis naribus, dirissimè castigari virgis, chordis, in Sibiriam damnari & deportari.

Idem

Ducalis
Residen-
tie Ho-
nos.

Idem evenire solet, clanculùm vendentibus vinum crematum: nihilominùs quia plerùmque prævalent illicita, effusiùs ruunt in vetitum nefas.

Gentem ebrietati cumprimis deditam, & vitiosam, Græcorum more, vocat Iovius.

Legatio Hæfatica & Iacobus Daniæ Legatus vocat pertinaces, indomitos, perversos, impudentes, inclinatos ad omnia mala, utentes vi, loco *Is Vi-*
 rationis. Carolum de Tallerand, Principem de Car- *aggi*
 les, Gallicum Legatum, ex decreto Patriarchæ in Si- *Moscho-*
 biriam missum: ibiq; per annos tres detentum, didi- *via lib: 3.*
 cisse quatuor libros Aeneidos memoriter exactissimè. *Cap: 17.*
 Similiter Casareum Legatum detentum, eadem Le-
 gatio memorat lib: 3. Cap. 17. Nocturnis erro-
 nibus, grassatoribus, aut qui in publicis plateis,
 crapulâ & ebrietate pressi, decumbunt; guttu-
 ra præcidere est solenne. Contra nocturnos
 latrones (*Tatie* dicuntur) provisum est, dif- *Latro-*
 positis per principales plateas excubiis: si *nes no-*
 mul edicto cautum, ne quisquam absq; lumi- *Furno.*
 ne noctu compareat: sed tam vastam Urbem,
 omni-

omnibus etiam per abstrusissimos angulos latitantibus latrociniis, purgare, arduum & negotiosæ plenum opus alexæ est. Per bacchanales ferias, me tunc Moscux degente, unâ nocte octoginta cadavera reperta sunt.

Furtis. Inter tot vitia, furtum omnium maximè punitur. Verùm etiam hunc rigorem, Gentis genius traxit in vitium: cùm re aliquâ clam injectâ alicui, facti ignari accusantur furti, puniuntur ut fures.

Ex Le- Debitis exsolvendis impares, coguntur fili-
gatione os suos oppignorare: *filius pro anno decem im-*
Haljati *perialibus; filia octo, æstimatur.* Castigantur quo-
sa. que singulis diebus debitores, ab ortu solis usq; ad signum campanarum. Inter nobiliores verò, ob debitum à Domino contractum,

Debita. Major Domûs castigatur: ut per irrogationem ignominix, (quæ servo irrogata, derivatur in Dominum) ad persolvendum debitum, Dominus inducatur.

Lis. Lis inter Magnates, supremo decreto dirimitur, quando citatus traditur permissi, deduci-

ducitur in domum injuriati, vel in carcerem: ille tamen nullam in caput ejus habet potestatem (& frequenter evenit, ut reus deductus ad suum adversarium, eiq; traditus, protestetur, se quidem obsequi mandato Magni Principis, nihilominus æmulum sibi genere & meritis imparem recognoscere) imò tenetur ex nunc reum dimittere, contentus hoc solo traditionis honore.

De amicitia publica & privata, Legatio Hælatica sic differit. *Dirigunt ad utile proprium, non commune, nec ad virtutem cultum amicitia, quã violare vel metu soluti, vel oblatã in turbido occasione, non intermittunt. Fraude ac perjurio petitur decus virtutis.* Inter privatos quoq; (etiam uterinos fratres) rarò videris sinceram colli amicitiam: in adversis pavidis, inter secunda non Divini humane juris memores: cunctis in adulationes & fraudes promptum ingenium.

Viri sunt de natura fortes, sed timidi; ideoq; in propugnandis arcibus quàm campo potentiores. Bono illis firmoq; temperamen-

Nn

to

Livyus

Tacitus

to constans foret valetudo; nī otio & diurno somno affectioni scorbuticæ redderetur obnoxia.

*Ratio
Victus.*

Transmarina, præter vestitum minūſ appetunt, modico eoq; crudo victu contenti. Pifces recentes, rarò etiam Procerum mensis apponuntur, foetidi dummodò non falsi in deliciis habentur. Cepis & allio plurimùm delectantur. Olera per hortum deambulando cruda comedere, etiam Proceribus non postrema, inter hortenses delicias, voluptas est. Bello autem Polonico, seu mitiori cœlo, seu clementioribus accolarum ingeniis, magnâ ex parte, illa cum qua venerant, feritas cicurata est. Futurì quoque luxûs (prout olim ex Asiatico bello, inter spolia Romam commigrâsse feruntur, sic Moscuaë, Polonico bello) iacta sunt femina.

*Livius
Dec; 4.*

Hæc vitia aliâq; non universæ genti, Regnoque Moschorum tribuenda; Moscua ut plurimùm iis laborat: ejus insolentia præ cunctis aliis Provinciis, usq; ad servilia deprimitur.

Hinc

Hinc ille incomparabilis amor obsequii: hinc ordo rerum nullibi major: hinc denique Majestatis securitas. Id ego ab ALMAZIO Supremo Cancellario didici: nempe Regnans id

*Virgil.
10. Aen.*

Nô faciat, maria ac terras cœlumque profundum,

Quippe ferant rapidi secum, vertantq; per auras,

Qualis Princeps ejusmodi Regnum, & quãtã prudentiã gubernet, supra innui. Quales autem antiquitûs imperaverunt, breviter describere, ratio Statûs Moschovitici videtur exigere.

Vetustior Moschoviæ Ducatus, Equite nudo, in CERIS gentilibus, utebatur. IWAN WASILEWICZ novis auctus Regnis, novos quoque sumpsit spiritus. Genealogiam suam ab Imperatoribus Romanis deducit, Aquilam bicipiti rostro pro armis assumit: apud populares CAR, scilicet Rex, à Germanis Moscux advenis, Cæsar proclamatur: magnitudo rerum gestarum, facilè persuadebat regales illi cum diademate titulos non gravatè concedendos: sed cùm intellexisset

*Andr
Fredro
in Fragment.*

Nn2

se tan-

se tanti Septemtrionis Dominum postponendum Sueciæ Regibus, suam ipse ambitionem (quæ sic se elevando deprimeret) detestatus, à Regalibus titulis, ad Imperatorios (*ut semper ambitio inquieta est, nescitque fastus stare loco*) animum principesq; curas convertit. Diadema, Aquilam, & tot nemina ipso pænè timenda sono, etiamnū in diplomatibus ac literis, quæ ad Principes Externos inscribuntur, assumens.

I W A N W A S I L E W I C Z

Anno millesimo quingentesimo quadragesimo, multa suscepit bella contra vicinos Livones, Plefcovienses: Magno Ducatui Lithuanicæ detraxit Magnam Novagardiam, Plefcoviam, Polociam, Smolensciam: Tartarorum Astrachaniam & Kazaniam integra Regna, victor suo subjecit Dominio. Septem Ducalis tori code

*Henri-
cus Spö-
danus in
annalibus
Le-
gatio
Halsati
1579*

sortes successivè, contra Patrias leges uxorius Princeps admisit, ex quibus tres tantum filios suscepit: maximus natus IOANNE S, minimus DEMETRIUS, pulchra Patri Soboles, si mens quoq; recta fuisset: ille à Pa-
tre

tre ictu scipionis, hic iussu *Borystii Godunow*
 occisi. Medius THEODORVS, duorum
 fratrum funera paulò post suo coronaturus,
 ad Paternam coronam brevemq; imperii succes-
 sionem supervixit. Moritur I W A N Anno
 1584. 28. Martij, ætatis 56. morte miserabili:
 cujus tyrannidem etiamnum non sine horrore
 memorare potest Moschovia: furore & crudeli-
 tate nomen apud posteritatem promeritus,
 dicitur *Car I W A N Sierdżity*.

F I E D O R I W A N O W I C Z

Hic annos duntaxat non animum parem,
 Imperio attulit; atq; ita, quam propriis non
 poterat, alienis viribus, gravem Reipublicæ
 molem levaturus, in Supremum Statûs Mini-
 strum, Regniq; Governatorem, assumpsit *Boryst-*
sum Godunow Ducissæ fratrem, supremum Can-
 cellariû; virû fraudulentû, ignavo Principi cum
 universa sua stirpe perniciosum, & ut plerûmq;

Nulla fides Regni sociis, omnisq; Potestas

Impatiens est consortis,

Hinc & *Godunum* loci impatiens fortuna secundi,
 Accer

Acer & indomitus fastus, ad totius imperii fa-
sces Principi suo rapiendos impulerunt. In-
dies igitur opibus, clientelis, vulgiqu; favore
potentior, pergit

Lucanus
libro 1.

*Successus urgere suos, instare favori
Plebis; & impellens quidquid sibi summa petenti
Obstaret, gaudensq; viam fecisse ruinâ.*

Primum ambitiosæ crudelitatis virus, in Do-
mum Regnatricem effudit, Principem D E M E-
T R I V M annorum novem interimi, T H E O-
D O R V M quoque veneno tolli iussit. Ne
verò his facinoribus populi odia vindictamq;
contra se excitaret; clam incendit Urbem, ut
unusquisq; ad propria tuenda conversus patrata
scelera simul cum damno extingueret. Obi-
it T H E O D O R V S 1591, Regni sui 12.
Anno.

B O R Y S G O D V N O W

Regnum hærede viduatum omnium suffragiis
defertur B O R Y S S I O: sed is specie reni-
tentis, in monasterium profugus, exuit suam
magnitudinem: se experiendo didicisse iactans,
quan-

quantum illa bona occultarum sollicitudinum tegerent: *quàmq; arduum, quàm subiectum Fortune, Tacitus. regendi onus.* Suos lacertos, ejusmodi polo sustentando non esse pares, excusat. Interea per amicos, suarumq; partium sequaces, tacitam ambitionem tam strenuè promovit, ut accurrenti ad monasterium ac lacrymanti populo, tanquam lacrymis victus, in id præbere assensum coactus videretur, quod ardentissimè cupiebat. Hic Princeps munivit Moscuam, Mozayscum, Wiazmam, recentemq; prædam de Lithuanis raptam, Smolenscum, tot bellorum causam, incomparabili sumptu, cinxit muro: cujus fundum Lithuani, Moschi muros, perenni bellorum seriè repetere non desistunt.

Regnante BORYSSIO, seu *Hryszko V. trepiey*, Iaroslaviâ oriundus, monachus, (uti Moschi asserunt) profugus in Poloniam; seu non *Demetrii ini-* fictus *Demetrius* in aula Ducis WISNIE-*tia.* WIECCII, ignominiosè tractatus, suam pristinam sortem lacrymans commemorabat. Quis esset? seriò quæsitus; *Demetrium se Moscho-viæ* *hære-*

baredem, nutricis virtuoso dolo morti ereptum, de-
nuntiavit. Dicta probavit; cùm Crucem ada-
mantinam in sacro fonte sibi appensam; tum
brachio inustam aquilam (quâ chordis cæsum,
notatum asserunt Moschi) monstrâisset. Ab
hinc Regali honore educatur, tantoq; nomini
& educationi parem gravitatem & mores, pro
futuris mox opibus induit. Palatinum Sando-
miriensem MNISZEK, Virum opibus po-
tentem accedit, Filiam ejus in consortem to-
ri & sceptri destinat, si ejus opibus & consilio,
Polonorumq; armis ad avitum thronum evehere-
tur. SIGISMUNDI Tertii permisso legit
Exercitum quatuor ferè (nonnullis decem)
millium. His viribus armisq; potens movet
in Moschoviam, proximas aggreditur & occu-
pat Civitates, deditione plura fortalitia inte-
grafq; accipit Provincias. Alliciebâtur ignari fa-
*mâ nominis *Demetrii*, qui prôptos Moschorum*
suis successibus, seu in subitanam mortem, seu
ad sumendum venenum ex desperatione, BO-
RYSSI-

R Y S S I V M compulit. Obiit BORYSSI-
V S Anno 1605, Apr. 13.

FIEDOR BORYSOWICZ

Ab obitu *Boryssii* Procerum votis suffectus quī-
dem est in Principatum *Fiedor Borysowicz*, ni-
hilominus cū indies *Demetrii* auferentur vi-
res & Fortuna, à Senatu populōq; in foro
proclamatur. *Concedat Deus prosperitatem De-*
metrio, legitimo heredi Russiæ, contra omnes suos
hostes.

Veluti signo undiq; dato, omni
portâ in Castellum ruunt; electum Ducem ca-
ptivant; *Demetrium* per Legatos ad Solium
invitant: hic antequam Moscuam (iam sibi
ferè deditam subiret, invalidum THEODO-
R V M, cum sua Matre, mors fato propera,
vel *Demetrii* venenum absumpsit.

D E M E T R I V S

Iam spem ingentem potiundi Moschovitici Im-
perii, pænè in immensum provehentibus Polo-
norum, Lithuanorum, Moschorum, Kozacorū
Copiis, tot viribus validus, tot manibus suæ
gloriæ militantibus potens, tot deniq; popu-
lis

Oo

lis

lis pro sua salute excubantibus securus *Demetrius* in conspectum Moscuæ decimâ sextâ Iulii pervenit. Matrem suam sibi occurrentem *Demetrius*, eâ, quâ par est filiali submissione, maternoq; nomini debitâ reverentiâ, equo delapsus, veneratus est. Hæc quàmvis se fortè cædes filii non latebat, nihilominùs vel metu, vel desiderio pristinæ felicitatis dissimulavit imposturam. Coronatus *Demetrius* 29. Iulii.

Hactenus quidem per felices successus composita à D E M E T R I O fabula, eundem ad sceptrâ & imperialem usque coronam evehebat: at ubi supremum optatæ felicitatis apicem attigisset, cùm quò ulteriùs pergeret, non haberet, retro cedere cœpit: ita profectò *quisquis medium defugit iter, stabili nunquam tramite currit.* In meta gloriæ & votorum suorum quiescente D E M E T R I O, vertit Fortuna rotam, cum qua res D E M E T R I I versæ, & eversæ; fortunati successus in tristes funestosq; se cœperunt evolvere, Corona D E M E T R I I in profundissimam confu-

*Seneca
in octavo.*

confusionem depresso Moschos: erubescere cœperunt purpuram in Principe, quam eidem paulò antè victi victori imposuerant: felicitas sui Principis illis aperuit oculos, quos operuerat propria calamitas: pudere demùm eos cœpit, quòd à moribus antiquis degeneraverint, & Ducale solium, domi natis, vel è medio sui lectis Principibus inhabitatum, alieno ex orbe petito Monarchæ, hostium artibus infecto, subjecerint. Gliscentes occultè seditionis igniculos in flammam apertam protrudebat, ipse diversus à veterum Principum institutis DEMETRII genius: quòd extra Patriam desponsaret sibi consortem; quòd mores & consuetudines Polonicas Moschoviticis præponeret, quòd thesaurum Ducalem prodigaliter (plerùmquè in Polonos) erogaret, quòd armillas & monilia, sponsæ, Regi; Poloniae, extra Patriam miserit, pretii incomparabilis: quòd Præfecturas Polonis concesserit; carne vitulina vesceretur; balnei quotidiano usu abstineret: usitatum apud Moschos cultum Iconibus

*Cause
caedis De
metrii.*

non exhiberet; canes sequi se in Ecclesiam
 sineret. Ex his omnibus ceu ex maligno fo-
 mite, suscitabatur flamma in incendium, for-
 tunam, honorem, vitamq; DEMETRII con-
 sumpturum. Ad hæc subibat animos impo-
 sturæ non vana suspicio. Exaggerabat occultè,
 deplorabatq; ruinam Patriæ WASILWA-
 NOWICZ SZVYSKI, cæteri; Proceres,
 sed prodita conjuratio, in caput versa conju-
 ratorum: ipse SZVYSCIVS seditiosorum
 Primipilus, verberibus castigatur, ad extre-
 mum fatali decreto reus mortis edicitur. Pro-
 xima jam executio in loco supplicii plecten-
 dum constituerat, at DEMETRIUS non
 minùs se fortem in puniendo, quàm in parcē-
 do, subjecto populo exhibiturus, donavit cle-
 menter fonti vitam, quam iustè, sibi salubri-
 ter, auferre poterat. Dum hæc in Moschovia
 geruntur. MARINA MNISZKOWNA
 Palatini Sendomiriensis filia, splendido Polo-
 norum stipata comitatu, pervenit Moscuam 8.
 Maii. Nuptiæ Ducales celebrantur. Læta o-

Nuptiæ

1606

Maii 17.

omnia

omnia; nil præter geniales plausus, in Ducali
 auditur curia, nil nisi quod Imperialis Hyme-
 næi serenitatem ostendet, conspicitur. At
 longè alia rerum facies in Vrbe: dum enim
 Princeps velut in altissima pace, ignarus quid
 fata pararent, obruit se mero, pleriq; facto
 concursu in villa, ejuratoq; Principe, SZVY-
 SCIO jurant fidem & obsequium. Ultimo
 nuptiarum die ad signum campanæ, (*Nabat*
dicitur) tota Vrbs ad arma concurrit. In-
 vadunt Castellum, & præsidium Polonicum
 somno vinoq; sepultum. Cædes immanisq;
 in semivivos laniena exercetur,

- - - *Crudelis ubique*

*Vir: l. 1.
 Æncid.*

Luctus, ubiq; parvor, & plurima mortis imago.

Postquàm Polonorum ferocissimi, per acies ce-
 cidissent, penetrant in conclave DEMETRII,
 què de fenestra já jam se præcipitantē retrahunt.
 Eâdem horâ Mater DEMETRII, sub oscu-
 lo Crucis (id juramenti loco apud Moschos
 habetur) examinata, negavit legitimum à se
 coli DEMETRIVM. Nec mora crudelissi-
 mē

mè occiditur impostor. Poloni quiq; animosiores mille septingenti cecidère: Ducissa in Monasterium detrusa: Ducis tamen WISNIEWIECCII Aula non minùs generosè, quàm strenuè se tumultuanti plebi opposuit. Legati Poloniæ Regis, OLESNICKI & ALEXANDER CORVINVS GOSIEWSKI contra jura Gentium detenti biennio. Cadaver DEMETRII fune tractum per plateas, fannis, convitiis ludibriisq; promiscuis sexûs plebi expositum in medio foro, tum ignobili sepultura obruitur, iterumq; erutum igni, in cineres consumendum, iniicitur. Hoc demum tam celeri, tamq; infelici exitu, tanta potentiâ quæsitum, per tot clades inventum imperium DEMETRII terminatum: ita profectò.

*Lucan⁹
libro 1^o*

*In se magna ruunt. Latis hunc Numina rebus
Crescendi posuère modum: summisq; negatum
Stare diù.*

WASIL IWANOWICZ SZVYSKI.

Sublato per seditionem Principe, Caput seditionis.

tionis coronatur. 1. Iunii 1606. Ad initium
 ejus Regni Kniaz GREGORIVS SZA-
 CHOWSKI (uti Moschi affirmant) raptis
 inter tumultum & cædem DEMETRII,
 decem equis Ducalibus, profugus in Poloni-
 am, DEMETRII nomen, Personam, & ti-
 tulos assumit, adversusq; Moschoviam, numero-
 sum æquè ac potentem colligit exercitum;
 secuti sunt ejus auspicia, viri magni nominis
 in Moschovia, Dux WISNIEWIECKI,
 RVZYNSKI, cæterique.

Infestis Polonorum, Lithuanorum, Mo-
 schorum, & Kozacorum Zaporohensium & Do-
 nensium copiis, in profundiora Moschoviæ pe-
 netrans, ipsam metropolitanam illius Urbem
 intestinis à semetipsa jam pænè oppressam cla-
 dibus, biennali premit obsidione. Duo tum in
 Moschovia distinctis locis comparuerunt *De-
 metrii*, quorum alter Ducalem annulum, argu-
 mento fugæ monstrabat; alter quidpiam è
 Ducali supellectile, prædæ ostentabat. Vterq;
 studia Moschorum ad se, vi & artificiosâ im-
 posturâ

posturâ trahebat. Primum tamen omnibus potentior arma Polonorum fecerunt (uti innui) hic exercitus Moschoviæ profligavit, Moscuamq; validâ strinxit obsidione. Quisquis verò ille fuerit, seu idem ille *Demetrius*, seu alius impostor, ita egit Personam *Demetrii*, ut fidissimi amici, hac de re, nil certi hucusq; referre potuerint. At in Polonia SIGISMUNDVS REX ob communem Regum causam, ob Legatorum captivationem, ob violatum jus hospitii, juraq; Gentium, bellum in Moschoviam decrevit. Ipse Smolenscum cinxit obsidione. STANISLAVM ZOLKIEWSKI Exercituum Ducem in penitiorum Moschoviam expedit, qui octoginta milia Moschorum ad Kłuszynum fudit, ibidemque Sueticum Generalem, *Pontum de la Gardie*, profligatum captivavit: Moscuamq; Victor aggressus est. Moscuæ in foro, primùm populus, mox in palatio Proceres SZYSCIVM infortunatum esse Principem conclamant: in campum prodeunt: Proceres, Nobilitas, Populus,

*Bellum
Poloniæ
contra
Moschos*

con-

concludunt deferere Principem sævum in pace, & in adversis præliorum exitiosum. Cuncti deinde per delegatos S Z V Y S C I O denuntiant, tot populorum nomine: *eum esse Principem infelicem: sceptrum resignare iubent, ipsumque in monasterium detrudunt.* Ita per seditionem querentibus Imperia, aut tenentibus, nihil medium inter præcipitia & summa est. Z O Ł K I E V I - V S postquam in conspectum Moscuæ Victorem produxit Exercitum, major in Vrbe metus: oppressa tumultuantium dubitatio, nonnullis jam pro V L A D I S L A O, quibusdam pro *Demetrio*, Vrbi adfidente, quibusdam pro *Galicino* Electionem trahentibus. Omnes concludunt deditionem Urbis tolerabilibus mediis, Electionem V L A D I S L A I Poloniæ Principis, petendumq; à Victore subsidium contra *Demetrianos*, Urbem jam biennio oppugnantes. Victor, V L A D I S L A O fidem juratam coram se dare obsidem, diadema, Castellumq; iubet: tum deditis fert opem. Et quia nusquam ibi pax consistere posset, ubi

SZVYSCIVS effecit, hunc sibi ante omnia dedi oportere declaravit. Poloni, hucusq; signa *Demetrii* secuti, (præviâ cautione, exolutionis stipendiorum, sub *Demetrio* emeritorum, à Rege & Republica) deserto *Demetrio*, sub Regimen **Z O Ł K I E V I I** concesserunt.

V L A D I S L A V S

Decimum quintum ætatis annum agentem **V L A D I S L A V M**, Magnus Dux Mosch: **SZVYSCIVS**, **FILORET** Patriarcha duoq; *Szyjscii* fratres, Captivi, Victorem, totaq; Moschovia Principem adoravit: Urbem, Castellum, diademata, Thesaurum Ducalem, Arma, Sigillum, omnesq; publicas opes, **Z O Ł K I E V I V S** in deditiōnem accepit; ac ne per vim imposita imperia exuerent Victi, pro præsidio Castellum, primùm mille, monitus deinde ab ipsismet Moschis de periculo seditionis, sensim sex millia intromisit. Iuramentum in Nomen **V L A D I S L A I**, in persona excepit: moneta in vulgus sparsa: apud remotissimas gentes *Kołmykorum*, *Kazanensium*,
Sibi-

Sibirienſium, Aſtrachaniæ, Czeremiſſiorum, ad mare Caſpium & Septentrionale ſitas, VLADISLAI colebatur Nomen. ALEXANDRUM CORVINUM GOSIEWSKI Moſcuæ præfecit ZOŁKIEVIVS; ipſe, primùm caſtra Regia ad Smolenſcum Victor, mox Varſaviam, (jam quoq; capto Smolenſco) triumphaliter ingreſſus, Moſchorum Principes SIGISMYNDO & VLADISLAO in publicis Comitiis Captivos præſentavit.

Anno 1611. 26. Ian. Populus Moſchoviæ *militarem licentiam Poloni militis GOSIEVIO expoſuit: Sacrarum Iconum contemptum, filiarum uxorumq; ſuarum prostitutionem: incuſabant tributum alendo militi impoſitum: petebant deniq; in omnium præſentium malorum remedium, celerem adventum VLADISLAI electi Magni Ducis. Pœna itaq; in fontes lata, & Electi Ducis adventum acceleraturum ſe ſpoſpondit CORVINVS. Iam verò militem ſuum excubare diligentius, dum Moſchos ſenſim inſoleſcere videt: populumq; armorum uſu, abſtinere iubet.*

Cumq; ingenia illa tumultus & conventicula, apertius augent, Urbem diversis locis clam incendit, divertendo Moschorum animos a publicis ad privata tuenda. Sed postquam commune incendium animos incolarum invasisset, Urbem totam exussit, excursioneq; validâ factâ excidit. Ducenta millia promiscui vulgi, in Vrbe tunc periisse feruntur. Vrbs tota præter Castellum, & unam vetustissimam Sanctæ Trinitatis Ecclesiam, in cineres abiit. Ex Castello, Ducalis, Patriarchalis, & Ecclesiasticus, privatorumq; thesaurus a milite directus, pretii incredibilis, usq; adeò opulentus, ut nauseans opes peditum vulgus, bombardas grossissimis gemmis oneratas, exoneraret in aërem: diademata, sceptrâ, unicornua auro & adamantibus vestita, partim Ducibus, partim militi præfidiario, partim seditioso, cesserunt in spolium.

MICHAYŁO FIEDOROWICZ

Propriis malis totq; cladibus ad saniozem jam mentem Moschi impellebatur: quare unanimi

consensu MICHAELM FIEDORO-
 WICZ *Theodoro Nikiticz Filoretto* (qui dein-
 de Patriarchale Solium adeptus est) genitum,
 sexennem, Magnum Moschoviæ Ducem dixe-
 runt. Anno 1613. Ejus auspiciis Moscu cincta
 obsidione, sed egregiè defensa ab A L E-
 XANDRO CORVINO GOSIEWSKI
 annis sex. IOANNES CAROLVS
 CHODKIEWICZ; IOANNES ZBO-
 ROWSKI geminatis Moschorum cladibus,
 solverunt obsidionem. Hucusq; C O R V I-
 NVS fortiter Proregis functus officio, suc-
 cessorem accepit (Polonâ Gente eas honoris
 vices alternas esse cum Lithuanis volente)
 IOANNEM STRVS. Iterum sub eo
 Moscu cingitur obsidione, fameq; adacta pa-
 ciscitur deditioem. Potitos quoq; se dicunt
 Moschi tunc Smolensco, sed intra tres men-
 ses, iterum resignare ob inopiam comreatûs
 coactos: nam *Georgius Sulieszow* cinctis obsidio-
 ne Moschis Smolensci, opem laturus, in via
 profligatus: *Demetrius Czerkaski* cum exercitu
 Moscu-

Moscua[m] usq[ue]; evasit, Polonis undiq[ue]; instanti-
 bus: ipseq[ue]; VLADISLAVS Moscuam op-
 pugnavit 1618: portam Orbacensem perfregit.
 Defensa tamen Vrbs operâ Germanici præsi-
 dii. Tandem Moschovia tot fessâ malis, in-
 ducias 27. annorum ad Troycam accepit.
 SZVYSCIVS Magnus Dux Captivus obiit
 in Polonia. *Filoret* Patriarcha, duoq[ue]; *Szyyscii*
 1619. libertatem sunt consecuti. Vixit MI-
 CHAEL Pacificus, suæ Genti gratus Prin-
 cept, nisi quòd arbitrio Patriarchæ, suscepe-
 rit celebrem illam Smolensci obsidionem 1632.
 occasionem ingentis gloriæ VLADISLAVO
 IV Pol: Regi: ubi 170000. Moschorum victi,
 residui edomiti, signa, arma, opes publicas &
 privatas, Victori in spoliis reliquerunt. Obiit
 MICHAEL 1645 Iulii 12. ætatis 49. Regni 43.

ALEXIVS MICHAYŁOWICZ

Eodem anno Patri successor ALEXIVS
 tranquillum cum sceptro accepit Regnum:
 còq[ue]; majora pacis præsidia firmabantur, cum â
 Patre supremâ voluntate ad colendam cum Po-
 lonis

lonis pacem obligaretur. Anno tamen 1654. atrox bellum intulit Poloniæ & Lithuanix, dum illæ multiplici bello distraherentur. Majorum suorum prudentiam, fortitudinem, potentiam, superavit. Nationibus externis, tum fortitudinis, tum prudentiæ, omnifq̄, ingenii probandi exercitium, Moscux præbuit: sed simul in omni arte, Moschos olim rudes, militiæ omniumq̄; bonarum artium ignaros, excoluit. Quicquid deniq̄; Moscuæ exiit ferociæ, huic debet Principi. Non defuere tamē rerū vicissitudines, & clades ingentes sub ejus Domino: pestes enim antehac inauditas perpeffa Moschovia, Princeps Civili tumultu petitus, orbatus filiis ALEXIO magnæ indolis, & in spem Regnorum Polonici, ac Moschovitici educato, & SIMEONE minorenni. *Tanti consistit bello Poloniam laceffere Gentem. De quo fusissimè actum supra.*

Hæc ex occasione Urbis Moscux, à nobis ferè quadriennio inhabitatæ, dicta sufficiant.

Moscua evoluti, Kubińscum pervenimus, il-
luc

*Tria aure-
orum millia.*

luc Secretarius Magni Principis Camerae, viaticum liberale attulit. Insuper sericum viride, aliudq; sericum argenteo filo intertextum, Persicum opus. Colonellis, aliisque omnibus sedecim Concaptivis, collaudata eorum constantia, munera liberaliter data. Omnium maximum munus, libertatem, etiamnum declaratam accepit CORVINVS. Quam laetus, munerum quoq; gratus, latorem munifice donatum dimisit. Literas vero idiomaticè & stylo Genti illi accommodato, valedicturus Magno Principi, ejusmodi inscripsit.

DEI Gratiâ Magno Principi, Car, & Magno Duci ALEXIO MICHAËLOWICZ, totius Magnae, Minoris, & Albae Russiae Monarchae, aliorumq; plurium Regnorum & Terrarum Orientalium, Occidentalium, & Septentrionalium Hæredi, Successori, Principi, Domino, &c. &c.

Sacra Carea Majestas.

*Non longè antèhac Majestatis Vestrae Captivus, nunc ejusdem clementiâ liber VINCENTIVS CORVINVS GOSIEWSKI, humiles re-
pendo*

pendo gratias pro omnibus mihi praestitis beneficiis,
 quod me Majestas Vestra quadriennio liberaliter vi-
 ctu & amictu, donis insuper providere, medicis
 suis curam mea valetudinis demandare, medica-
 menta e pharmacopolio Ducali largiri, per Simso-
 nem Lukianowicz Streszniov Senatorem suum, me
 agrum Captivum invisere; denique libertate donare,
 in Patriam dimittere, conspectu suo non denegato:
 per Secretarium suum de valetudine mea inquirere,
 auream mihi vestem & viaticum largiri dignata est.
 Quod vero pristinum meum Pacis conficienda studium,
 grato animo acceptet Majestas Vestra, meque ad per-
 ficiendum opus; cum Georgio Dotgoruki, cum Atha-
 nasio Naszokin, apud Sacram Regiam Majestatem
 Dominum Meum Clementissimum Legato, ad ami-
 citiam ineundam hortetur, libens Majestati Vestrae
 obsequar. DEVM interea precor (absque cujus ad-
 jutorio, omne consilium vanum, omnis potentia
 debilis) ut tantum virium mihi suppeditet, & in-
 genii, quatenus Vestrarum Majestatum ad pacem in-
 clinatos animos, labore meo, ad tam pium opus per-
 ficiendum inducam, Ut vero Majestates Vestrae san-

Qq

gui-

guinem Christianum sistant, Ethnicorum potentiam
 malis utriusq; Gentis auctam diminuunt, obsequia
 Mea Majestatibus Vestris deoroveo, quantum per ra-
 tiones virium & possibilitatis licebit. Quicquid
 Vestris terrenis Majestatibus defuerit, Divina Ma-
 jestas suppleat, tam pias, orbi Christiano proficuas
 Majestatum Vestrarum intentiones, Suo cumulaturo
 auxilio. Quam precor, ne prius me sinat mori,
 nisi videro utriq; Imperio restitutam pacem; inter
 Vos Magnos Principes, Vestraq; Regna veterem a-
 micitiam; hostium communium confusionem, & a-
 micarum Gentium inde solatium. Id dum animi-
 tús apprecor, Majestatis Vestrae deosculor manum.

Majestatis Vestrae

Kubińsci 20. Martii.

1662.

Humilis Servitor
 VINCENTIVS CORVINVS
 GOSIEWSKI.

Mozaysci commutatis vectoribus, Wiazmam
 perventum. Omnium bellorum & diuturni car-
 ceris asperitatibus infractus, parum abfuit,
 quin

quin in ipso portu libertatis, grandi ægritudinis procellâ impetitus, vitæ fortunarumq; fecerit naufragium CORVINVS. Aliquantû sopito morbo, Dorohobuzum lectulo delatus: eo malo iterum recrudescente, extremè periclitatus est. Æquè Moschis ac Concaptivis de ejus vita felicitis, commodior visa navigatio secundo Boristhene, ob evitandas infinitorum pontium incommoditates. Urgebat Kniaz *Nikita Iwanowicz* O D O I E W S K I per Internuntios Smolensco missos, iter ejus accelerari, cùm jam verni dies infirmo periculum, à Medico prædictum, minari viderentur. Duo itaq; magna navigia ad iter navale instruuntur. Cæteri Captivi, pariter & Moschi, *Pristawi*, excubitores, sedecim magnis navigiis Smolenscum 4. Aprilis appulerunt. Quum plerùmq; meticulosa sit calamitas, timebamus ne Smolensci novum aliquod emergens cursum itineris nostri remoraretur, sed cum miles protensis in muro signis, populusq; ad ripam Boristhenis numerosus confluxisset, ut sibi liceret reducē,

*Moschis
urgens
eliberationem.*

*Smolensci
sui honorifice
excipitur.*

Qqz

corā

coram intueri & adorare: cùm æquè à populo ac milite præfidiario haberentur honores; cùm ab *Odoiewscio* cæterisq; Legatis, Ducalis rheda mitteretur; deniq; intra mænia honorificè deduceretur à Colonellis, tum demùm verè se liberum esse agnovit. Excubiæ adhibitæ, obsequii magis, quàm vigiliarum causâ.

*A Legatis Mo-
scob: hono-
rificè sa-
lutatur.*

*Mos gen-
tis.*

*Liberta-
tem con-
sequitur*

stâ Aprilis in eadem Ducali rheda Legatorum Aulam invecus, in arèâ ab A L M A Z I O Cancellario omnium Legatorum nomine salutatus: mox in atrio à N A S C Z O K I N O simili salutatione exceptus: in sala à P R O Z O R O W S C I O dextrâ datâ: honorat9, ante conclave à Legationis Principe O D O I E W S C I O humaniter acceptus, in conclave deducitur:

hîc habito primùm colloquio de accelerando Legatorum congressu, de commutatione Captivorum, de Austriacorum mediatione, supremum ei libertatis decus, tot suspiriis desideratum, (ejusq; usui, seu equos, seu navigia vellet, jam esse omnia in promptu) denuntiatur.

Comites libertatis dati quinq; præterea gregarii duodecim, vilioribus obsequiis

quibus destinati. Pro omnibus, quòd Nationis Moschoviticæ Captivos remissurus esset, scripto cautum. Vice Colonellus honoris causâ, & 30. pedites Moschi, remigesq; dati usque Mohiloviam: iidem ut integrè Smolenscum remeare possent, similiter scripto cautum. Reliqui commutationem expectare iussi.

Sextâ Aprilis è portu Smolenscensi solvit: *Accessus*
 ipsoq; die Paschali 9. Apr: Orsam delatus, *in Patrè*
 Salvatorem resurgentem, Captivorumq; libera- *amo*
 torem, adoravit. Die Lunæ Kopyssiam perve-
 nit. Dum RADIVILIANVS peditatus,
 populusq; sub signis prodiret, signa & arma
 flecteret, moenia oppidi ignibus coruscarent,
 (in re quidem levi, sed apud se non nisi
 Principi exhiberi consueta) Moschi magni No-
 minis & honoris Virum admirabantur; quem
 apud se hospitem non adeò æstimabant. Rus-
 siæ oppida bellū pertæsa, CORVINVM ut
 pacis authorem cum ingenti plausu intuebantur,
 simul & spe haud dubiâ, si Hostis bella ge-
 rere coget, Eî victorias notis itineribus de-
 stina-

stinabant. Sibi salutem cum eo rediisse, & ceu salutare sidus illuxisse gratulabantur, in illo turbulento intestinorum per Rempublicam motuum statu; in illa gravissima militaris confederationis tempestate. Vnam credo fuisse omnium vocem

*Claudia.
29 l. 1.
in Ruf.
num.*

*Te nobis trepida ceu sidus dulce carina
Ostendere poli: tantis qua lassa procellis
Tunditur, excusso trahitur dum caca Magistro.
- - - Tu sola pericli*

Turris ades, clypeusq; trucem porrectus in hostem.

Szkłoviam accedendi erat animus; sed quòd illuc Moschi venales Captivi clam deportati essent, ne hæ præpedirentur nundinæ, illa est prætergresso, nil sibi esse emendū, apud illos mercatores, inquit, cum Sacra Regiæ Majestatis curâ, & Hostium beneficio, donatam acceperit libertatem. Imposito tamen aresto (quod jam Regio, & Exercitûs nomine factum est) 200000 Imperialium, in Lithuaniam comite MICHAEL B P A C Fratris suo, profectus est. In itinere dierum plurimorum verbis & lætitiæ materiam suppedi-

peditabant præteritæ calamitates: etenim

*Qua fuit durum pati
Meminisse dulce est.*

*Seneca
in Her-
cule Fu-
rentes*

Liber jam inde, præteritas calamitates in præsentis lætitiæ materiam vertit, renatæque libertati, parem animum, vultumq; induit hilariorē, nihilominus præfagam malorum mentem, ubiq; gerere visus. Minſci, Novogrodeci, Słonimi, Zyrowiciis, à populo extra mœnia prodeunte, oratione & admiratione exceptus, à Clero cum decantatione Hymni in Ecclesias ubiq; deductus, ubiq; gratum se & liberalem præbebat gratulantibus.

Kobrynix ubi famâ vulgatum est, publico privatoq; omnium voto desideratum redire Ducem (cum stupore præsentis ibidem Internuntii Moschovitici) tormentorum sono, lætisq; inter vulgus militare circulis, domus implebantur. Magistratus autem militaris cum ZERONSCIO, tanto hospiti obviam expediendos censuit Legatos, invitandumq; ad se. Duodecim Proceres Legationis, officio, nobilita-

bilitate, & militiâ insignes expediti. His accessit ingens numerus, gestientium intueri reducem illum Civem, pro quo liberando Romanorum Imperator, Poloniæ, Galliæ, Succiæ, Reges, Senatus, Equestris & militaris Ordo, tantoperè defudârunt. Ab hinc frequentes militum è stativis prodeuntium turmæ, tanquam postliminio redditum, lætis pro præfenti fortuna animis, Kobriniam circumfusi deducebant. In cujus conspectum ubi ventum est, ZERONSCIVS, Consiliariorum aliorumq; (quos in oppido continuò residere oportebat) quadringentorum equitum cinctus coronâ, splendidissimè obviam medio processit militari. Totidem ferè â parte CORVINI stabant. Vtriq; gratulatio prolixior animis quàm verbis constabat: nam obortæ utrique lacrymæ, verba præpedivêre: interim dextris datis, in oppidum itum. Ternis vicibus, omnia quotquot in Castello erant tormenta, detonuerunt. Peditatus extra oppidum pares exhibebat honores. Cænæ, applausui militari,

frequentiq; tormentorum ac tubarum sono,
nox data. Luce ortâ in frequentissimam mili-
tum adveniens coronam, alter alterius con-
spectu, mutuo paulisper conticuere. Tum pri-
mus CORVINVS, orsus est orationem:

*Oratio
ad mili-
tes.*

*Quo fato in hostium manus incidere, duriq; carce-
ris pro Patria toleratas arumnas, exposuit. Hinc
deinde per armatam Legationem, ab Exercitu Mo-
scuam expeditam, magna ex parte vindicatum se a-
gnoscens, censuit inter victoriarum rerumq; ab eis
gestarum gloriam, id non ultimum laudis fore,
apud posteritatem exemplum, quod Dux cesserit E-
xercitui ab hoste, in premium fortitudinis: quod Du-
cem suum belli casibus oppressum, carceris arumnis
eneruatum, ab amicis desperatum, victoriosâ ope
sublevârint; Captivorum spolio (quos sanguine suo
conquisiverant) commutârint &c. &c.*

Non
dissimili facundiâ ALBERTVS CIECHA-
NOWIECKI, Exercitûs nomine plurimas
res ab eo pro Patria gloriosè gestas, recensuit: simul
Vercense praelium, minori numero, majori fortitu-
dine absolutum: ipsum deniq; carcerem, eodsq; depræ-

Rr

dica-

dicavit; ut meritò, inter victoriarum gloriæq; tro-
phæa, recenseri debeat. Adjecit absentis in Patria de-
siderium, in carcere, boni publici studium, cum di-
scrimine vitæ, &c. Actis Ei deniq; gratiis, Patriæ
& Exercitûs nomine, in Ecclesiam itum. Vbi
inter repetitos tormentorum applausus, à Mi-
litari populo decantatum, *Te Deum laudamus*:
veterem victoriarum gloriam repetere, non
carceris ærumnas eo die recensere, inter tot
applausus audivisses CORVINVM. Tri-
plex deinde epulum exhibuit militi, tantâ li-
beralitate, ut in amplissimo horto, inter plan-
tas, plurimis instructis mensis, accumberent
quotquot vellent. Cæteris inter hortos de-
cumbentibus, vinum ad satietatem apponeba-
tur.

*Varfavi-
am in-
gressus.*

Iam crebriùs ab Regiæ allatæ literæ, mone-
bant, maturaret suum adventum. Modicâ ita-
que sibi concessâ Wolczyni quiete, Varfaviam
profectus. Apparabatur quidem ab Amicis in
Aula, ingressui ejus pompa, sed cùm se mor-
bis fractum sentiret, pertæsus tot officiorum
inter

inter pompam ingressus præstandorum, studium amicorum eo die elusit. Nihilominus postfridie, ipso die Pentecostes, Regiam Majestatem, in suburbano Varsaviensi palatio aditurus, veluti quispiam Externus ingrediens meritis exceptus honoribus. In Curiam ubi frequenti Senatu perventum est, Sacræ Regiæ Majestati in publico, brevi, & concisâ oratione, *primùm non gloriosam magis, quàm divitem Superùm benignitate, victoriam gratulatus: (cum pro se eliberando ex spoliis suis quinque Moschorum Generalissimos, liberaliter Moschis condonârit) tum pro Paterna suâ libertatis cura, ætis gratiis, carceris tolerati obsequium dedicavit, eamq; ipsam libertatem, quam Paterno Ejus beneficio se debere recognoscebat, ac residuum vitæ, Regiis obsequiis obstrinxit.* Par magnitudini Regiæ, victoriisq; oratio, clementer à Principe audita: accepta merita: dati pro commutatione captivi, iam omnes apud privatos Cives, venales. Deinde indicto de industria conventu, frequenti Senatu auditus, nunquàm inutilē boni Civis operam esse,

& ne compedibus quidem magnanimos passus impediri, demonstravit, cum arcana quæq; Moschorum explorata, in Senatu aperiret.

Exceptæ deinde, tum Domesticorum, tum Externorum Principum gratulationes, & quidē literæ LEOPOLDI Augusti Imperatoris, LUDOVICI Galliæ Regis, FRIDERICI VILHELM I Marchionis Brandenburgici, Sacri Romani Imperii Electoris, IACOBI Curlandiæ & Semigalliæ Ducis.

Iam verò in Patria omnium Principum, Procerum, præsentium & absentium susceptus gratulationibus, omnium voto in præsentium malorum, seditionumq; remedium, destinatus, Vilnam concessit. *Nec degeneravit* (uti de Magno BOHEMVND O è Turcico carce-

P. Æ- re, magno auri pondere redempto, scribit Hi-
milius storicus) à *Venonē-* *Pristina animi indole; casuumq; belli-*
sis de bel- *corum non ignarus, fortunæ vires ingentes esse; e-*
lo sacro. *am rerum temporumq; communium inclinationem*
afferre: ac pro libidine, quem visum fuerit extolle-
re, premereq; mentem hominis, vimq; animi sua-
for-

sortis esse: summos Viros neq̄ frangi aduersis, neq̄
 tumescere secundis: & quò plura majoraq̄ experi-
 menta virtutis in utraq̄ fortuna dederat, eò sensi-
 bus mortalium erat admirabilior.

CAPVT IX.

VINCENTIVS CORVINVS GO-
 SIEWSKI Seditiõni Militari sedanda immisce-
 tur, & interimitur.

Reducis è Moschovia VINCENTII GO-
 SIEWSKI illibata fides & authoritas, omni-
 um in Republica voto, præsentibus malis inter-
 ponenda iudicabatur quidem; sed aduersa ejus
 valetudo, tot malis fracta, aliud sentire coge-
 bat. Firmior tamen erat Regalis obsequii & bo-
 ni publici amor, quàm ut vel toleratis in car-
 cere ærumnis, vel diuturnis morbis superare-
 tur. Sequitur igitur, quò se occultus fatorum
 ordo, quò Majestatis nutus, Civiumq̄; vocabat
 falus. Vix exactis duobus mensibus Varsoviæ,
 (qui publicis consiliis, privatis congratulatio-
 nibus

*Gesta
Gosiewii
Vilnae.*

nibus, medendæq; valetudini impensè) Vilnam proficiscitur. Ibi creatus Commissionis Marchalcus, huc omnes convertit curas, ut Patriæ exitialem Militum seditiosorum nexum resolveret: reductoq; milite ad obsequium, hostes Reipublicæ (si qui pacem aspernarentur) bello adortus, ad pacem incundam sub clypeo flecteret. Iam suum Exercitum novo augere peditatu: Equitatum mille equitibus hastatis, cuius Gentium formidabile ac invictum robur, deligere constituit. Inprimis verò Militem donis, dignaq; Duce munificentiam sensim ad obsequium revocabat.

Verùm utrarò iniqua Fortuna, maximis virtutibus parcat, ita piis ejs conatibus, simulque vitæ, jam cum ferali exitu, adversa propè instabant fata. Cùm *Niewiaronski* unus è Captivis ejus Moscuæ, qui fermè in deliriũ actus Smolensci, quòd cum Duce sibi per Moschos non liceret in Patriam regressus; Moscuam se rediturum, ritu Græco lustrandum, omnia publica & privata Patriæ proditurum, & se periturum (ina-

(inani certè conatu, ob restrictam tunc
CORVINI potestatem,) lymphato similis
debacchabatur. nunc, (prout & pleriq; alii,)
Smolensco dimissus, ubi omniù primùm seditio-
sæ confæderationi militari nomen animumque
inscripsisset, in Deputatorum militum circu-
lo, communi suffragio, *Director* seditiosorum
electus, in caput ejs cõjurâset: *Præfectus* etiam
Militum, qui tunc Exercitui seditioso præerat (nã
Zeronscius cum omnibus gubernationis peritis,
Vilnam concesserat) milites quoq; Vilnam de-
putati, æquè ac in castris residui, divisi in fa-
ctiones, firmi consilii expertes, tanquam in di-
verso æstu, extremis fluctibus iactarentur.

Constabat CORVINO, jam excitari con-
tra se tumultum, ideòq; hæc ad Supremum
Cancellarium, Leopolim, manu propriâ scri-
psit, Vilnâ die 8. Oct: 1662 *Hinc incessanter*
Kobryniam, inde vice-versâ Vilnam remeant lite-
re. Quæ hinc, plerùmq; ad incitandum, inde mo-
destius, hinc falsa multa, quasi à nobis queratur
Commissionis solutio, inde orgetur conclusio. Vno
verbo

Litera
Gosevit
manu pro-
priâ scri-
pta.

Verbo inter tot sensus de necessitate sequentur incon-
 venientia. Spes boni in ambiguo. Causa malorum o-
 mnium, Director cum aliquot asseclis, cui compositis
 rebus, nulla spes praevalendi Reipublicae: omne in
 turbido consilium. Veluti ob bona sibi eripienda in-
 fensus, & iratus, literis ad Exercitum datis, nostra
 Praesaga facta criminari non desistit. Hic mensis aliquid de-
 monstrabit, utinam non extremum: quando innocens
 cum fonte, sine discrimine patietur. Tunc fortè a-
 gnoscemus mala, quando modus reparandi deerit. Fi-
 at quod Divinae Majestati placet. Ego paratus sum
 fieri victima pro bono publico, nihilominus publica
 res, proximum spectant interitum. Ago quantum
 possum. Doleo, quòd me implicaverim presentibus
 malis. Utinam me absente continuassent dementias,
 quas me absente inchoarunt.

Praesaga
 mali
 mens.

Nec vanum id erat CORVINI praesagi-
 um: nã Praefectus militiæ (cum sint diversae Ducis
 ac militis artes) nec comperere, nec dissimula-
 re armati populi fremitus gnarus, impulsus &
 pistolis à Directore missis, Wolpam castra mo-
 vit. Hic cincta Ecclesia peditatu, Militem ad
 secre

secretum juramento firmandum cogit. COR-
 VINVM proditionis, correspondentiæ cum
 Rege, Aula, Extraneis, venundati Smolensci,
 reum incusat: literas Directoris Vilmâ allatas
 pro documento monstrat: invitandum ad ca-
 stra censet. Consentientibus, nec pensantibus
 qui, & à quo rationem essent exacturi, porre-
 xit scriptum, quo comprehensio violenta COR-
 VINI includebatur: id nonnulli consuetâ in-
 solentiâ militari abrepti, nonnulli coacti sub-
 scripserunt. Incessis primùm viis, ne nuntius
 præveniret; 800 equites Vilnam mittit. Qui
 mandatū sub noctē proseguētes iter, citato
 cursu ponēsequētia urgebāt fata, quò celerius
 Ducis ruinæ instarent. Vnum jam Vilmâ mili-
 tare supererat: proinde subsistere miles iube-
 tur: huic hæctenus ignaro, quò iret, quem peteret,
 post præstitum corporale juramentū, de tenēdo
 secreto, scriptū cōjurationis aperitur. CORVI-
 NVS factorum integritate tutus, metu vacuus,
 suo ordinario securus præsidio, non vanos
 rumores contemnebat: cū nil opinionis, omnia

conscientiæ causâ faceret. Interea præmissæ ad
Directorē Vilmā literæ, denuntiabant: 1mo. Mit-

*Ex lite-
ris substi-
tuti ad
Directo-
rem.* ti Equitatum Vilnam. 2do: Committi rem ejus iudicio
his verbis: si tibi videbitur. 3tio. Rationes & mo-
dos, quibus aggredi opus deberet submissis miles, ab illo
suggeri oportere. 4to. Si fortè rem ad effectum de-
duci non videretur, sub sigillo secreti conservandam.

5to. Non temerè procederet, monebatur, ne & sua,
& Exercitûs hoc factò laderetur conscientia. Lectæ

in conclavi literæ noctu, approbatæ, perinde
quasi citatus, aut jure & legitime convictus esset,
ferale decretum dictum. Signo interim Vilmâ

*Gostevius
compre-
henditur
à seditio-
so milite* recepto, Miles movet: diluculo invadit Urbem
C O R V I N I palatium petit & obsidet,
per submissos in cubiculum, ad castra abdu-
cendum invitat quiescentem adhuc: violenter

15. Nov: è cubiculo productum, Z E R O N S C I V M
verò è medio templo raptum (frustra recla-
mantibus Monachis, immunitatesq; Ecclesiasti-
cas & excommunicationes opponentibus) Wol-
pam abducunt. Ac ut magis consideres in-
fanos; non decrant inter furentes milites, qui

iacta-

iastarent: malè provifum esse huic Reip: in qua
 sapientes & potentes pollerent vitâ & regimi-
 ne. Non latebat (uti memoravi) CORVI-
 NV M, has, quib9 tenebatur, sibi strui infidias, sed
 conscia mens recti, fatis sic volentibus, nul-
 las circum se habebat excubias; hinc reputantibus
 haud prosperû vulgi favorem, breves & infaultos
 populi armati amores, monentibusq; de pericu-
 lo respondebat: *ire ad Exercitum rationemq; fa-*
ctorum suorum reddere, sibi esse constitutum. Si
à milite deduci, DEO sic volente, (uti jam præ-
monebant amici) in castra contigerit, diluere se vel-
le omnia obiicienda. Sed discretam hominis &
 rationabilem intentionem, prævertit malèpoti
 convivii impetus: quippe inter illas epulas alla-
 to nuntio rerum Vilmæ gestarum, ob metum
 aliquando vindictæ intentandæ, conclusum est:
 CORVINVM humanam victimam fore.
 De convivio sese proripientes noctu, in pro-
 ximum pagum desertum divertunt malèpoti
 Hic quod densæ noctis tenebræ omnem
 præriperent visum, accensus manipulus si-

gnum commilitonibus ebris (qui è convivio errabundi per campos redibant) extensum. Ibiq; scheda his verbis inscripta *Ioanni Nowoszynski*. *Accepi adduci Vilnâ Captivos, quod verò hucusque vivi adducantur, tibi do mandatum ut prædictos Captivos, absq; ulla mora, sub pœna tui capitis, facias mori.*

Crudeliter primùm **ZERONSCIVS** interemptus. Aberat tunc à castris **CORVINVS** sex miliaribus, in Patria hostilibus cinctus excubiis. Hûc efferato animo cum affeclis ebris *Nowoszynski* advenit; Ducēq; ocius ad castra primùm properare, mox in campis Ostrinensibus, rhedâ descendere iubet: illicq; decretū mortis pronuntiat. *Ille Sua in Patriam merita, communesq; cum Exercitu pro ea exanthlato labores & sumptus, aliam postulare mercedem; aut si quid culpæ contra se compertum est, perducit in castra, iudicio damnari publico, vel absolvi peti.* *Nowoszynski DEVM vindicem fore, Ejus sanguinis, se pœna capitis cogi, ad exequendum decretum, respondit.* **Iterum CORVINVS**

*Cedes
Gosiewi
29. Nov:
1662.*

Grego-

Gregarium quemq̄ militem, nunquam à se absq̄ præ-
 vio iudicio damnatum memorabat; præstarent mili-
 tes Duci suo, ut non decederet iniudicatus. Cùm e-
 tiam id negaretur; conscientiam liceret sibi con-
 fessione expiari, petiit. Data potestas confessi-
 onis ibidem in agro peragendæ. Post absolu-
 tionem petenti P. Samueli Kuderowski Soc: IESV,
 num ignosceret inimicis? respondit: ignosce-
 re se omnibus, æquè parricidis, ac parricidii
 authoribus. Iterum petenti num ignosceret?
 eo modo se ignoscere, quo Salvator in Cruce
 pendens, Iudæ traditori suo ignovit, ingemi-
 navit. Moræ impatientes liçtores illi, pios a-
 ctus elicienti, auriculæ dextræ glandem è sclo-
 peto allidunt. Vnicus ille ictus tot calamitati-
 bus pro Patria toleratis infractum virum pro-
 stravit: nihilominùs tanti ruina Ducis non sti-
 tit impetum sanguinariæ crudelitatis, in omne
 nefas effrenatæ: sanguine viso generosæ solent
 mitescere feræ, sciunt parcere subiectis.

*Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni,
 Ira suum finem cum jacet hostis, habet.*

At

At illos immanes animos (quod ignobilibus
 solenne belluis) innocuus sanguis efferavit,
 crudelibus cruoreque innoxio infectis ma-
 nibus scrutabantur artus, cordisque palpi-
 tationem, num obtuso halitu animam non oc-
 cultaret? alterâ itaq; cordi admoto sclopeto,
 tertiâq; subtus umbilicum trajectus glande.
 Insolenti clamore dilaniandum corpus, frame-
 isq; discerpendum ab omnibus ebriis peteba-
 tur, ne patrati criminis superessent vestigia: sed,
 licet ægrè, ab ea infania discessum. Multis deinde
 conviciis exanime cadaver, nocte integrâ in
 diversorio impetum: postridie Vilnam deveh-
 i ægrè permissum est. Quo eodem tempore
 Præfectus Militiæ literas revocatorias ad *No-
 woszyńscium* expediverat; sed scena peracta est
 priùs, quàm ille crapulam edormivisset. Exani-
 mis itaq; Dux Vilnâ plauastro inVectus, à conster-
 nato populo, pro tunc absq; ulla pompâ delatus
 ad Basilicam D. Casimiri. Ibidem incorrupto
 die, cultui honorifico publicè exhibitus: tan-
 dem sarcophago inclusus, funebri pompæ re-
 fer-

servatus.

Is fuit exitus VINCENTII CORVINI GOSIEWSKI, Natalium gloriâ (etenim Romanos Consules, Hungariæ Reges, in serie Avorum recensebat) animi magnitudine, (nil enim humile, abjectum, animo & verbis volvebat) gestis magistratibus, belli & pacis mediis, Viri inæstimabilis. Proprio ductu cum hostibus Kozacis confligit ad Dimir, Irpien: ad Pultoviam, Prostk, Filipow, Radziwiliszki, Wolmir, Caunam, Verki, cum Moschis & Suecis. Alienis autem auspiciis ad Loiow, Pińsk, Mozyr, Białocerkwiam, Mohiloviam. Ex his ad Filipoviam & Verki, adversam sibi fortunam expertus, belli & pacis artibus, quantum valeret, demonstravit: cum tenui Reip: ærario, decem millium Exercitum conscripsisset, cum hinc Moschis Lithuaniam, inde Livoniam & Prussiam Suecis occupantibus, Samogitiam illæsam conservaverit: cum ad littus Curonicum in Samogitia, hæctenus non practicato exemplo, ex Hollandia bellica requisita exposuerit:

*Breve
Elogiū*

ibi.

ibidem novum Samogitis portum, Castello imponendo erecturus. Cùm in acie formanda, in oculis totius Poloniæ ad Varfaviam, extemporaneum, cùm in præliis semper se præsentissimum & animosissimum, præstiterit. Artes pacis & consilii, in sistendis victricibus Moschorum armis, avertendis Sueticis, in colenda externorum Principum amicitia, in affabilitate, civilitate, quàm propè calleret, novit Patria & ipse invidus fatebitur livor. In consilio promptum, in sententia dicenda extemporaneum & succinctum; in adinveniendis rationibus, rerumq; gerendarum mediis, facundum: Humanum, Civilem erga omnes quidem, at maximè erga extraneos, bellicæ aut Oeconomicæ Architecturæ peritos, vidimus. Ad nullã rem ardentius quàm ad liberalitatis decus anhelabat: libertas illi toto pretiosior orbe. Vultus illi omnisq; sensuum symetria ad venerationem & gravitatem composita: cùm tamen parem fortunæ, corporis præferret Majestatem arrogantia vitium effugit. Austeritas semper altif.

altissimo nixa consilio, neminem iratus punivit, ne punivisse doleret, cum furor recessisset. Publicum bonum totum quodam modo illum occupaverat, adeo, ut per suam ruinam Patriam stare oportere dicitaret. Pace parta de consensu Reip: Quarcianum militem, ne iuventus otio torpesceret, in Lithuania instituendum censebat: qui repentinis Lithuaniae casibus, Tartaricis arcendis in Vkrainam excursionibus, armorumque publico exercitio deserviret. In castris, vigiliis & labore cum ultimis militum certabat, nec quicquam in Exercitu, praeter honorem & militare imperium habebat. Maximis honoribus eminens, animum illibatum avaritia, & rigidae integritatis gessit.

Moscuæ tres illos annos pietati & eruditioni concessit. Sacramentis crebrius usus. Fasciculū myrrhæ, aliaque pia opuscula, quotidiano suo usui addixit. Diu noctuque lectioni librorum invigilabat. Magnorum Principum exemplo, assuetam gladio manū, calamo admovit ad conscribendos libellos: quorum unus prostat in typis.

Reliquū vitæ tēp, Moscuae Architecturæ bellicæ & Oeconomicae, conquirendo clandestino literarum commercio, ac præcautionibus in Patriam clām deportandis, impendit.

Integro illo triennio, modico potu, ad sitim duntaxat extinguendam, non ad voluptatem usus, cæteris liberale epulum exhibere solebat.

*Livius de Cato-
ne.* Vim verò animi ingeniiq; tantam in eo fuisse, constat, ut *quamvis infimo loco natus fuisset, fortunam sibi parasset.*

Nulla ars liberalis, nulla scientia sacra, profanaq; Ei defuit. Iuris, Eloquentiæ, Mathematicæ, Architecturæ bellicæ & Oeconomicae, Philosophiæ quoq; & Theologiæ non ignarus, artes callebat. Linguas peregrinas præter Patriam, Latinam, Italicam, Germanicam, Moschoviticam scivit exactissimè: Gallicæ usum Moscuae contraxit. Armorum, e-
quorum, picturæ, Architecturæ, Musicæ, omnisq; elegantiae, avidus spectator & auditor. Ad omnia hæc adeò illi fuit ingenium versatile, & expeditum: ut natum ad id unum dices, quòd cœpisset.

Cæterum Fortunam par-

partam cunctatione corrumpens, & celeritatem belli, nonnunquam extinxit consiliis. Cunctatione sibi noxius, quâ bis ex libertate excidit.

Exercitum populumq; omnem, brevi (postquam innocentia Ejus prodiisset in apertum constitissetq; jam, nullum ab eo Patriæ periculum fuisse intentatum,) subiit virtutis, clarèque pro Patria gestorum memoria, boniq; amissi inane desiderium. Dignus CORVINI nomine: *quod si primum ab eo inciperet, provexisset ille quantumvis exilia Stirpis suæ initia ad eam magnitudinem, quæ hodie orbis vastitatem implet: quod in vita fortia agendo & patiando, in morte strenuè occumbendo probavit.* Dignus si Africani exemplo, ingrata Patriæ suos negavisset Cineres.

C A P V T X.

Captivati fontes, nexus militaris resolutus, deq; fontibus iudicium Anno 1663 & 4.

ATrox & immane, dignum quod æternâ Annali-

naliū memoriā proſcriberetur facinus, non Gē-
 tem modò CORVINORVM, PACIORVMque,
 ſed infenſiſſimos etiam CORVINO hoſtes diu al-
 tiſſimâ admiratione ſuſpēſos tenuit. Senatus mili-
 tari tumultui ſuâ dignitatē expoſitâ; Cives, oppreſ-
 ſâ Rēp: *Miles longo Imperatorū ſacramento imbu-
 tus, arte & impulſu alieno, quàm ſuo ingenio traducto,*
 Duces inſolenter à milite plecti, ne iudicio quidē
 prævio, ingemiſcebat: nihilominùs cedendum
 tempori cuncti, moremq; gerendum exiſtima-
 bant, ſub armis invalido legum iuriumq; præ-
 ſidio. Magiſtratus ille militaris, expeditis ad
 Archiep: Gneznenſem uti primum Principem,
 ad Generaliſſimos Regni Exercituum, alioſque
 Proceres, (quorum authoritatem eſſe ſūmam in
 Rep: & Regia conſtabat,) Legatis, ſuum faci-
 nus non excuſabat, ſed ſupprimens errorem
 extollebat: Proditoris morte Remp: ab interi-
 tu vindicatam: ſecretiſſimas cum externis fa-
 ctiones, Regi & Reip: hucſq; ignotas, in Co-
 mitiis demonſtrandas, per ſe ſuppreſſas. Le-
 gati nuſquam ſceleſti facinoris patrono reper-
 to,

to, rediêre. Ne unicum quidem Civem ita in communi Patria, in æquali Rep: eminere, ut legibus interrogari non possit: nec minimùm libertati præjudicari, potentissimum quemque, posse dicere causam, unanimiter rescripserunt. Archiepiscopus insuper, postquam præcipitem furorem incusâisset; precabatur à DEO in suo rescripto, ut innocuus ille cruor, electuarii loco, medendis Patriæ vulneribus deserviret, nihilominùs vindictam (iusti Abel sanguine implorante) Patriæ imminere vaticinatus.

*Tunc
primum
causas ce-
dis con-
quirunt.*

Tunc primum causæ cædis dudum peractæ, conquiri cœperunt. Infamiâ intactum, invidiâ quâ possunt urgent. Gesti honores curæq; CORVINO pro crimine: toleratus carcer, exanthlati labores pro simulatione censebantur: *ob virtutes certissimum exitium.* Literæ per ordinariam postam ab Aula, arithmetico Charactere ad GOSIEVIVM scriptæ, etiam tunc necdum ab illis asinis intellectæ, manifesti criminis & proditionis loco, palàm à Substituto, militi in castris: & Vilnæ à Directo-
re

re ostentantur: in his Patriam vendi, Smolensco Moschis decedi (cùm tamen Smolenscum armis & præsidio firmissimo Moschorum etiam nunc infideatur) corpus sibi a Moschis redditum, animum ipsos habere: in his Succorum arma introduci: per Sueticam potentiam, libertatem suam & Regnum Gallis venundari; Exercitûs salutem periclitari, prædicant. Indicto universali Procerum, Nobilitatis, Exercitûs conventu Olitam, omnes ad juramentum seditiosæ confæderationis adigere nituntur, ejus sancitis, atq; armis impotenter sumptis, vindicta sibi impendens còerceri, Majestas Principis, legum vis convelli, atrocitas patratae cædis approbari posse, putabatur. Nobilitatem, militemq; G O S I E V I A N V M, sciscitantem de causa novæ (uti vocabant) confæderationis, ad Senatum, Senatus verò se inscium professus, ad seditiosos remisit. Iam tunc non obscurè, pænitebat insanix. Seditiosæ factionis militaris capita, vicissim in se culpam cædis, factæ coniiiebant. Indignati

nam-

Conven-
tum uni-
versalè
ordinib9
M.D.L.
inducunt
Olitam:
& quâ
intentio
ne.

namq; GOSIEVIANI se infciis, se in-
 consultis, nonnullis ad subscribendum decre-
 tum coactis, absq; iudicio, foro incompeten-
 ti, sibi ereptum præstantissimum Ducem, arma
 corripiebant. Vix manibus inter Exercitum
 temperatum. Nec ullam aliam rationem pro
 sui defensione opponebant seditiosi, nisi illos
 Characteres toto illo conventu sibi ignotos &
 inexplicabiles. Nullâq; re ibi gestâ, præter
 novas introductas subscriptiones, colendumq;
 fædus cum Exercitu Regni sancitum, in stati-
 va miles dimissus. Dextra ala Brestiam & in
 Polesiam, sinistra verò (ii sunt G O S I E V I
 A N I) in Samogitiam deductæ. Ipse Præfe-
 ctus Militiæ, Szadoviæ in Samogitia, Artiglie-
 riæ & peditatûs præsidio securus, sibi fedē præ-
 fixit: munitionēq; ibidē crexit: ad Exercitū Re-
 gni Legatos firmandi fæderis causâ expeditit,
 indeq; missos solenniter excepit. Scilicet
 hæc scelerum quærebantur præsidia, quamdiu
 difficillimis Patriæ temporibus, Regis & Reip:
 conniventiâ, á suo crimine non absolverentur

*Gosievi-
 anorum
 ardor pro
 vindictâ.
 da cede
 sui Du-
 cis.*

Iuri

*Fraus
parrici-
darum.*

*Literis
lectis
sublata
suspicio.*

Iuri quoq; parando, calumniosè formare pro-
ditorias nomine GOSIEVII, & annulo si-
gnare destinârunt. In hunc usum *Samuelem*
Węstawski (cui GOSIEUIVS annulum com-
miserat, fidelēq; ejus operā Moscuae, & in Patria
expertus est multis annis) & ipsum reum
proditionis incusando, ubiq; conquirebant. Ve-
rùm ille monitus CORVINI interitu, Ri-
gam, Regiomontum, & Leopolim profugus, Re-
galis obsequii gloriam & securitatem nactus
est. Verùm literæ illæ characteresq; obscu-
ri, deinde explicati, majorem, quàm dici potest,
in GOSIEVIANIS ardorem pro vindi-
canda cæde sui Ducis concitârunt: parricidæ ve-
rò (ut plerūmq; scelestæ facinora cognatione
quadam inter se connectuntur) non ad pæni-
tentiam, sed ad nova majora scelera audenda
pro veteris criminis defensione processerunt.
Moschorū quēpiā Captivū, promissâ libertate &
præmio decē aureorum: insuper (nî faceret, quæ
suadebantur) minis coactum, venundati Smo-
lensci, auriq; deportati Rigam, testem in iudi-
cio

cio futurum, reservabant.

Tot tantaq; scelera, simul sævire in vitam
 famamq; demortui, longiùs ultor non patieba-
 tur DEVS. CHRISTOPHORVS PAC
 Magni Ducatûs Lithuanix Cancellarius, MI-
 CHAEL PAC Castrorum Generalis Meta-
 tor, Fratris sui ulturi cædem, famamq; tanti
 Ducis mendacibus probris fere oppressam, vin-
 dicaturi, Patriam demùm præfenti malo, con-
 fæderatorumq; oppressione liberaturi, frænandam
 furiosorum illorum omnem rabiem,
 vindicandumq; immane facinus decreverunt.
 Cancellarius consilii sui amplitudine, Metator
 verò mediis immixtus periculis, opus aggredi-
 tur. Duodecim legit focios, quibus prævio
 juramento aperit rem, ipso initio arduam, e-
 ventu dubiam, periculo gravem. Non defu-
 it proditor in tam exili numero: eodem die
 per schedulas nonnulli præmoniti: sed piis
 manibus, Gentiq; superstiti propitia Numina,
 utrinq; sustulerunt metum, postquam MI-
 CHAEL PAC in circulo *militari proposuisset:*

Vu

inævari

iactari à nonnullis de industria, contra se rumores, quibus in diversa agere concivium, ac demùm in mutuas cædes armare possint commilitonum animos. Satis sit semel creditum, cum quandoq; fraus fidem sibi in parvis præstruit, ut cum mercede magna fallat. Sat sanguini & cædibus datum, quæ non aliunde orta in tanta mala degenerarunt, nisi ex narrantium & credentium temeritate. Distis data fides, suspiciones utcunque sublatae, nihilominus PACIANI inceptis desistere coacti, Vilnâ excefferunt.

Conventu Vilnæ soluto, Magistratus Militaris Szadoviam ubi pervenit fortalitium maturari iussit: quod & feditiosorum præsidium & omnium quotquot jam suspicio notabat GOSIEVIANI sanguinis vindices, mox foret carcer. Hæc effecerunt, ut generosi militum quiq; jurati, seu in ipso fortalitio, seu in militari circulo, authores cædis in potestatem redigendos, in itâ conjuratione clam fusciperent. Fortè in villa natali epulo, à quempiam Officialium, Præfectus militum exceptus
com-

commorabatur inde redeuntem pars equitum à
 PACIO expedita, confosso primùm equo capti-
 varunt. Conditionem temporis, vel hinc ælti-
 mare licet, quod patrati facinoris omnium
 mens conscia, neq; fugientem tueretur, nec
 quisquam propugnaret captivum, unoquoq; a-
 micorum latebras sibi quærente quo privatæ
 salutis amore trahebatur, aut culpam cædis
 Gosievianæ à se amoueret. Legati quoq; mili-
 tares Polonici in densiores sylvas cum cæteris
 fontibus profugi, latitabant. At in oppido MA-
 THIAS GOSIEWSKI nuntio rei gestæ in villa
 accepto Artilleriam occupavit. Officiales &
 peditatum ad arma coactum, fidem Regiam
 iuramento firmare iussit. Moschus ille hucusq;
 ignotus suâ sponte adiit CASTRORVM MB-
 TATOREM commentum aureos, promissa &
 minas hucusq; secretas aperuit. Nec mora, pro
 Directore expeditus leuior equitatus. Iam &
 is conscius sibi, dum in Prussiam apparat fugâ,
 inter latebras comprehenditur. Tum capita se-

d'itionum conquisita quosdam ipsimet compli-
ces vel qui contagione insanierunt, in docu-
mentum fidei tradidère. Omnes pariter uti &
cædis ministri, VINDICE VINCENTIO, reti-
bus quæ texuerunt diuersis locis impliciti, in
bello seruatas animas, in carcere Mariemburgi
reseruabant iudicio & pœnæ. Comuni nem-
pe seditionum (quæ sibi confæderationum vel
sacri nexûs anteaçtis sæculis usurpauerant vo-
cabulum) exitu , ut earum authores, vel atroci
aliquo euentu terminauerint vitam, vel tenui
penu, ij qui Regum & Regnorum partiebantur
reditus, dein supervixerint inglorij. Regnante
SIGISMUNDO III rebus gloriosissimè gestis,
urbe Moscuâ potiti, gazâ opulentissimâ Prin-
cipum Moschouiaë direptâ; nacti inter se diver-
sos Ductores , totâ corruerunt victoriã. Nã
victam urbem victæ genti reliquerunt in præ-
dam, ipsi iterum iterumq; excessère: atq; fixâ
sede , (unusquisq; Ducum instar) cum suo ex-
ercitu pars Leopoli, pars Bresciæ, pars Grod-

næ confederunt. Nec sufficebat, magno illi Regi eripuisse fructum victoriæ; prodidisse Moscuam; captum duorum annorum spacio, & tot cladum precio Smolenscū deseruisse; præsidio & comœatu destituisse, ut ex tanta præda ægrè sit retentum: sed insuper in bona mensæ Regalis, & feudalia inuolârunt: Telonia reipub: occuparūt: vias publicas & aditus Ciuitatum infederunt: Curie & bona nobilium inuasa: Ductoribus eorum fastu & luxu omnia implentibus, ut contumaciter Regibus æquiparari contenderent. Confluebat indies multitudo, ad tam certum & sine sudore ditandi ex alieno modum: ut nec numerus certus, uniuscuiusq; exercitûs recenseri, nec quantitas stipendiorum constare, nec prætensionum modus desiniri potuerit: modo hæc, modo alia, indies tamen plura à Repub: extorquentibus. Sæuiebantq; in Patriam veluti in aliquo captiuo regno, spolia adepti, adeò ut Respub: extremis suis malis adacta, cogeretur ijs exolvere summam aureorum, quantam externi nusquam in Polonia corradi potuisse existimabant. Idem multoties contigit eidem Reip: ab ijs quos pro retinenda Liuania conscripserat. Postquam eam Prouinciam expilâssent, torrentis instar, inde ad expilandam Samogitiam, deinde Lituaniam excedebant. Reuocati quandoq; ingenti propositâ mercede, mox leuem ob causam inde excessuri. Deniq; illud opulentum Reip: patrimonium, tanto san-

guine

Ex literis Sigis. III Regis ad Ioan. Carol Chodkiewicz.

ex literis eiusdem Regis ad eundem

Piasceki. in annalibus

Heindesteinius lib. 12.

guine & opibus nostris partum, hostibus in spoliis ex-
posuerunt. Genti quoq; æterna labes irrogata. Quantâ
admiratione posteri legimus, proficiscenti VLADI-
SLAO ad capeffendum Moschouicæ Principatum, pro-
prium ipsiusmet cohortem, denegâsse obsequium, nec
secutam abeuntem Principem, in statuis mansisse. Pacis
gloriosæ & cum summo emolumento prætermittas occa-
siones stupet Orbis, cum post Moschouiticæ Cannas ad
Konotopum, Czudnouiam, Kuszliki &c. &c. vincere, non
verò uti victoriâ nos sciuisse proclamauit. Sed cum Gen-
tem nostram bellicæ gloriæ non pœniteat; nec nos Re-
ip: damna, nostræ ignauitæ: nec hostes partas ex nobis
prædas suæ virtuti debent, nisi præd. Etis scditionibus.
Alia nunc mens est Genti nostræ, cuius miles, gaudet qui-
dem fructui sibi fuisse robustiore statu Remp: nunc verò
gloriam, à se defensæ, sibi vendicat, cum undiq; bellis
pressam, sine stipendijs, per tot annos contra Moschos,
Suecos, Turcas, Tartaros, etiamnum feliciter tuetur.
Deo, esse cordi Regum & Regnorum causam credamus.
Nam nec diuturna unquam illa militaris magistratûs pote-
stas, extitit, nec stabiles opes cum vita: quippe præcipiti
lapsu, plerofq; ad incita redactos & SIGISMVNDANO
sæculo audiimus, & nostro nidimus. ZERONSCIVS,
certè & hic Præfectus (à quo digressi sumus) digni me-
liori fato: & quidem ZERONSCIVS eò infelicior, quòd
in sequētibus comitijs, declaratû sit *Caput eius inuidicabile.*
Vndiq; iam ad MICHAELEM PAC GOSIEV Ianus

N V S miles, redibatq; paulatim amor obsequii. Nex9 resoluti instrumentū T E R E E S Z simulatā Personā & habitu vectoris, ad Regē solvendi nex9, redituri ad obsequiū militis, nūti9 expeditur. Adhibiti ad consilium gratulabantur: ii quib9 temporum momenta, secretum cōmunicare vetabant, dolebant, occasionem sibi præreptam ad præstandum piis manibus obsequium. Imbelles verò, lividi, rei9; necis, quem vivum privatim oderant, dum sibi metuunt, publicè miris laudibus extollunt. Pleri9; sacris illis, an sacrilegis nexibus se explicatos gratulantur: cuncti generoso sp̄ritu opibusq; valentes, soluti seditioso imperio, jam inde futuri liberi, P A V L V M S A P I E H A & M I C H A E L E M P A C sibi redditos, militiæ Imperatores, lætis animis exceperunt.

Ab Exercitu Legati ad Regem profecti, *filium & obsequium dedicarunt: pugnando cum hostibus, Regis & Reip: se quesituros libertatem: asperissima queq; laborem, periculumq; deposcebant; ut quod ab authoribus factum est, oblitterarent; quandoquē*

Gosevianus miles resolutus militarem seditionē.

Legatio ab Exercitu ad Regem.

doquidem quidquid vixerant in Nexu, id omne in suam ignominiam versum, execrarentur. Cæterum ne aliquot Personarum insolentia toti Genti adscriberetur, publico scripto typis vulgato, sunt protestati: suâ quemq; infaniâ furere.

Partâ libertate, redditoq; Regi Exercitu, restitutâ legum dignitate, exusto publicè Nexu, restabat non levis difficultas; *unde promenda essent militi stipendia, arario ad præsens tenui? Quo sponsore miles, ea sibi certo solutum iri crederet?* Non alia visa certior ratio, quàm si primariâ authoritate, non ludificari se miles comprobaretur. Boni publici cupidus GEORGIVS BIALŁOZOR Vilnensis Præful, castra in-
 vectus, militem primû oratione delinivit, tum stipendiorum exolutionem intra annum promissam, (ad præsens verò sexcentorum florenorum millium donativum â Rege pollicitus) juramento comprobavit. Faustis acclamationibus, tormentorum, tubarum, lituorumq; sono, gestientium animis, actæ Regi, Præfuliq; gratiæ:

Stipendia promissa.

tiæ; devota obsequia: idē Ductoribus clamore ex-
templò ominati felix faustumq; imperium. Hæc
acta sunt in Samogitia.

Hoc modo VINCENTII CORVINI
incluta virtus in postremo vitæ termino, ma-
gnitudine Nominis, amplitudine clarè factorū,
immane illud seditionis monstrum obruit &
oppressit.

Interea Leopoli, Exercitus Regni, incom-
parabilem Regis sui solertiam, miris eludebat
artibus. Iam ille vocabulo *Sacer Nexus*, re ip-
sâ rebellis, Lithuanorum adhuc auctus fæde-
re, Leopolim iturus ad arma concurrebat.
Rex quanquam Majestate, consilio, Ducum ex-
perientiâ, militumq; robore, effet superior:
nihilominùs ut sine sanguine, vinceret metu
rebelles, Tartarorum arma ad confinia Vkraï-
næ & Podoliæ evocata, ostentavit. Sed poste-
aquàm allatum est, Lithuanorum Exercitum in-
gens seditiosè belli subsidium decessisse, publi-
cè in templis privatimq; manibus CORVI-
NI, suo sanguine restinguentis Civile incen-
dium

*Nexus
Regni
resolutus*

dium, habebatur honos. Exercitus ille G O S I E V I A N V S omni fortunâ Duci & Patriæ fidas, extollebatur; commune P A C I O R V M Nomen, tum maxime MICHAEL PAC, author tantæ felicitatis, in publico per sacra profanaq; ora, honorificè dilatus, Castrorum Metator appellari desiit; sed cunctis, (qui tunc â Rege deferri poterant) honoribus auctus est. Palatinatus Smolenscensis, & in Exercitu Imperatoria potestas data. Rex productis in aciem copiis, datâ veniâ, sine cædibus & sanguine, armorum & animorum simul civilium, de seditiosis victor evasit.

Positis undiq; Civilibus armis, I O A N N E S C A S I M I R V S, domi exitiosa Polonorum arma recenter expertus, adversus Moschoviæ M. Ducem copias movit in Vkrainâ illâ nimirû rebellionis Patriam, Officinam cladium, Regnum Schismatis; quo stante sui juris, Regis autoritas stare non poterat; eratque alienæ potestatis, Poloniæ tranquillitas. Toties rebelles Kozacorum animos, Regali obtu-

Rex Poloniae movet in Vkrainâ & in Moscuam.

obtutus Majestate devictos flexit in subjectionem. Hucusq; Vkrainâ exules Cives, in Patriam reduxit: auctus deinde Kozacorum & Tartarorum subsidiis, antiquis Regibus indomitum Boristhenem edomuit. Oppida Woronkow, Baryszpol, Ostrz, Sosnica, Dewica, Krolewiec; dextrâ parte per Legatos IOANNEM SOBIESKI: cui assistebant Principes Tartarorum, & PAVLVM TETERA, vi & clementiâ, in deditionem accepit: nonnulla contumaciora diripi permisit, non tam ira & odio, motus, quàm ut miles còercitus in tot integrè Captivatis oppidis, aliquo loco fructum victoriæ perciperet. Lithuani parte sinistra adventabant, longè lateq; Rossaviam, Swińsko, Brańsko, igni ferroq; vastantes. Supremo loco Rex, Moschorum ingressus terras, locis infinitas, multitudine populorum innumerabiles: collatisq; ad Karaczeviam feliciter contra *Prozorowscium*; ad Nowogrodecum Severiæ contra *Romadanonscium* signis, excisis extemporaneis hostium fortalitiis, Bolchoviam usq; infesta

*Boristhe.
nè traii-
cit ad
Rzy-
szow.*

*Res ge-
ste.*

Ww

pro-

promovit arma. M. Moschorum Princeps Exercitum omnem per Civitates dimisit, ut se ipsos muris, & muros se ipsis tutarentur: cæterum populationum damno servare univèrsa, statuit, quamdiu Exercitus contraheret. Rex ubi animadvertit dissipatum bellum, hostes cædibus & incendiis ad pugnam eliciebat, nec pacis prætermittebat media. SAMVELEM WESŁAWSKI Notarium & Cubicularium suum, Moscuam expeditit Ablegatum, cumque jam imminente cum verè hyemis resolutione, periculosum esset in hostico versare arma, Moschi quoq; simul Legatos obicerent, & validis copiis instarent, hinc *Czerkascius*, inde in Alba Russia jam igne & ferro grassaretur *Chowanascius*, è paludosis illis & sylvestribus Provinciis, Polonicus miles in Vkrainam retrò, Lithuanicus non sine gravi equorum inter sylvas & paludes strage, in Albam Russiam, reductus. Rex, maximum celeritatis impedimentum Lithuanis, & ipse non sine gravi fastidio superatis sylvis, Mohiloviam, deinde Vilnam concessit.

cessit. Hinc ultra Boristhenem Vkraina rediit ad ingenium, ubique Nostris ejectis præfidiis.

Omnia damna nostra numerosis Moschorum cladibus affatim persolvit *Chovanscius*.

Nam cum Lithuani Hyberno, Vernoq; tempore domi feriantur, ille ferox, & anteacti decoris avidus, Lithuaniam invasurus, ad Witebscum confedit. Martiæ suæ fortunæ & virtuti confusus MICHAEL PAC, castris *Chovanscii* duorum millium opposuit castra.

Primùm ille negabat sibi licere absq; consensu Principis, (dum positis utrinq; armis, in faciem pacis per Legatos venit) manus conferere; sed postquam per transfugam rescivisset, moveri retrò Lithuanorum castra, magno impetu advolat insperatus: egregiè decertantibus Lithuanis, accurrit peditatus (qui jam retrò præcesserat) perfractisq; Moschorum alis, *Chovanscius* vinci assuetus, aciem, peditatum, castra, impedimentaq; deseruit. Peditatus omnis in campis circumventus, inter- necione deletus; eques tum in acie, tum in fu-

*Michaël
Pac pro-
figat
Chovans-
cium ad
Witeb-
scum.*

ga cæsus, ipse Dux fugiendi peritissimus Vitbscum evasit. Signa capta triginta septem, tormenta ænea quinq;, castra demùm, & Suburbia Witebscensia direpta: lætis animis, quòd adversa hyemis, expeditione prospera pensavissent.

1664.

Rex natalem suum Vilmæ celebravit, lætitiâ Majestatis, recente victoria & triumpho promovente.

Tractatus sub clypeo.

Inter Moschoviam & Lithuaniam, pacis tractatus, cruentus sese obtulit. *Dolgorukius* non tam paci conficiendæ idoneus, quam bello resuscitando, vir fastuosissimè loquax, Legationi adhibitus, nil aliud nisi vires, potentiam, opes, fortunam, suorum extollit. Polonorum obterit senescentem cum viribus Majestatem: omnem eorum ferociam in verbis, non in factis esse: eamq; in Comitibus magis, quàm in bellis apparere. Iam maria, terras, inani sono verborum implevit. Ex Anglia succursum adduci: peditum innumerabilem vim ex Sibiria cum Kassimoviensi Regulo adventare, à quibus nil sartu tecti sit (paulò post Kassimovien-

sis

sis adduxit duo tantum millia.) Ex Astrachania Regno, Victores fugâ, Parthorumq; more pugnantes populos Kalmykos, æquè viros ac feminas, Gentem armis validam adventare, vaniloquus iactabat. Scire se insuper quantum in Polonia discordiarum. Contra: Principi suo, immotam pacem ubiq; & unum id bellum esse. Czerkascius in-

terea septuaginta millibus Moschorum ferox, tormentis centum septuaginta (terrore tamen magis bellum gesturus, quàm cupiditate proferendi Imperii, aut dignum ob præmium) Szkloviam aggreditur: illam dum frustra oppugnat, brevi Moscuam revocatur, copiis iisdem Dotgorukius ex Legato, belli Dux, constituitur.

MICHAEL PAC non numero sed animo par, cum quinque millibus suorum ad Mohiloviam confedit: indeq; totius Lithuaniae salutem, contra advenientes Moschos & Szkloviam oppugnantes, propugnavit. Totis quidem viribus decertatum non est, sed creberrimis per varia stratagemmata cladibus, hostis ab oppugnanda Szklovia submotus, Kopy-

fiam

*Michdél
Pac Mo-
schorum
potentie
resistit.*

fiam cinxit obsidione. Illûc Campi Marschal-
cus Lithuanîæ, per medias Moschorum statio-
nes, peditatum & comteatum nocturno tem-
pore introduxit, ipseq; ad suos evasit. *Dol-*

*Literas
interce-
ptas Mo-
schis mit-
tit ne au-
deat vi
attenta-
re assul-
tum.*

gorukius vanâ ostentatione armorum ad Kopyfi-
am nil proficiens; insuper mandatum M. Du-
cis Moschoviæ interceptum, missum sibi ab
oppidanis accepit, in quo assultus cum iactu-
ra hominum ei interdicebatur: Tartarorum
quoq; ex Vkraina confluentium PACIO in
succursum, de industria sparso rumore, terri-
tus; jamq; milite & equis imminutis, campo
diffidens, intra vallum diruti oppidi Dubro-
wna, castra sua contraxit; nec ullâ re clarè
gestâ, cladibus attritus, equis ut plurimùm pri-
vatus (nam furto ê pascuis sublato equo-
rum hinnitu, provocatus numerosissimus grex
equorum, prædatores, Szkloviam usq; sequeba-
tur) mense Novembri, retrò, Smolenscum ver-
sùs movit.

Pari furore Moschi ê Russia Polocensi, Vil-
næ Samogitiæq; minitabantur excidium. Sci-
licet

licet ut militem ad propria tuenda Mohiloviã
 distraherent: sed mira DEI providentia, à
 CZARNIAWSCIO primùm equitatus,
 deinde peditatus ad Łuski deletus est: re-
 liqui Dunæ vorticibus impulsì, hausti; per er-
 rorem à suismet; ex adverso littore tormen-
 torum ictibus, luctantes cum aquis occubue-
 re.

Posito undiq; bello, Provinciæ feroci im-
 positis Białocerkwiæ, Korsuni, Czehryni, præ-
 fidiis: profligatis ad Białocerkwiam rebellibus,
 edomitis rebellium oppidis à CZARNEC-
 CIO Palatino Russiæ, generalia Regni & M.
 D. L. Comitiam, Varsaviam indicta. Septuagin-
 ta hostium signa capta CZARNECCIVS;
 PACIVS septuaginta duo per Legatos, Re-
 gi in Comitii publicè in Senatu pro Majesta-
 te sedenti, præsentârunt: erant sanè gloriosa
 illa Regni Poloniæ consilia, quæ tot in hostico
 lectis laureis coronata, tot trophæis, ad parem
 maximis imperiis gloriam sublimabantur.

Hucusq; in Castro Margemburgensi Captivi
 autho

*Comitia
 Regni
 Pol. 260
 Novëbr:
 1667.*

authores GOSIEVIANÆ cædis, sub ar-
cta conservati custodia, compedibus vincti,
Varsaviam in locum iudicii, & supplicii addu-
cuntur. *Nowoszyński* in Moschoviam profu-
gus, ibidem meritis sceleri suo invenit pœnas,
nam catenis vinctus, primùm in carcerem
Smolensci coniectus, deinde ad solvendas in
Patria pœnas redditus, diu in carcere conser-
vatus: complures in Valachiam vel in mona-
stera profugerunt: cæteri, quorum approbati-
one, CORVINVS sublatus est, ad Comi-
tia ducenti septuaginta citati.

*Iudiciũ
de fontibus.*

Iudicium in generalibus Regni Comitibus
(non quòd dubium scelus esset, sed quò lucu-
lentiùs CORVINI integritas & gloria pa-
teret orbi) publicè institutum, arrectis omni-
bus Ordinibus, Externorumq; Legatis, quanta
pietas Poloniæ, quæ fides amicis CORVI-
NI, quæ fiducia fontibus superviveret.

Magna CORVINI merita & illi in Se-
nato recitabant, dignaq; meliori fato & grati-
tudine apud Concives, confessi sunt. Omni-

um

um factorum Ejus conscios se fuisse, Moscuae & in Patria, agnoscebant: detestabantur necis atrocitatem: culpam tamen unusquisq; à se in alium, quàm longissimè mutuò retorquebant.

Rex in præsentia frequentissimi Senatûs, concessis omnibus juris beneficiis, auditoque scrutinio, quinquaginta octo Iudicum sententiis, haud aliàs intentiore populo super eventu causæ, pronuntiavit decretum contra fontes, in pœnam infamiæ, amissionis vitæ, & bonorum ad Fiscum redigendorum. Quinq; cædis authores & duos cædis ministros pœnâ capitis, damnavit: residui cædis conscii perpetuâ infamiâ notati. Postquàm præviâ executione in foro Varfaviensi, cædis suæ extitisset vindex CORVINVS, (quanquam omnem funeris pompam, testamento Moscuae scripto abdicaverit) funebris triumphus eidem decretus est, peractusq; Vilmæ in monumento Majorum, omnibus sacris profanisq; congestis honoribus 12. Febr: in Basilica D. Casimiri: amplissima celsoq; fastigio moles erecta, tholum

Basilicæ attingebat, quam è virgine cera quâ-
 quâ versûs frequens cingebat lumen. Complu-
 ra militaria signa, hostibus, variis bellis ere-
 pta, cingebant molem, aderant circûmlata o-
 mnibus bellis CORVINORVM Gentis
 insignia. Iam peractis sacris, elatoq; funere,
 imperatoriæ in Exercitu potestatis insigne, Cla-
 va, gladius, hasta, â circûmstantibus, fastigio
 allisa & contracta: alteram armatus eques, in-
 tra Basilicam solutis equo habenis, portæ: ter-
 tiamq; è publico foro eques decurrens, pari
 impetu, muro Basilicæ allisit, in frustra; rede-
 git hastam. Murales machinæ, & peditatus,
 festivâ explosione detonuerunt. Equorum mi-
 litaris pompa, Equitum instructus ordo, supre-
 mum CORVINO præstiterunt obsequium.
 Oratione sacrâ profanâq; pietas, belli gloria,
 in Rempublicam merita, recensita. Non defu-
 it officio Vniversitas Vlnensis, quæ se obstri-
 ctam ejus beneficiis gerens, funebrem Pane-
 gyrim sparsit in populum. CHRISTOPHO-
 RVS PACM. D. Lith: Cancellarius ad pe-
 rem

rennem memoriam Herois meritissimi, in loco
cædis, marmorcam posuit columnam. Pro qua
exornanda certaverunt scriptis, viri elevati in-
genii: sed nos pro coronide hujus operis VI-
CTORIS & VICTI gesta, nostro elogio ad
memoriam scribamus posteritati.

C A P V T X I.

*Elogium Historicum, Natales, honores, gesta in Pa-
tria & extra illam, calamitates & obitum VIN-
CENTII CORVINI GOSIEWSKI
complectens.*

D. O. M.

Subsiste Viator.

VINCENTIVM CORVINVM GOSIEWSKI

Supremum M. D. L. Thesaurarium,

Fortunæ exemplum,

Sui sæculi Bellisarium:

C O R V I N O R V M

in Rep: Romana Consulum,

in Hungaria Regum,

Xx2

in

in Lithuania Senatoriam,
intuere progeniem.

Pater Ei

ALEXANDER CORVINVS GOSIEWSKI

Palatinus Smolenscensis,

septem Moschoviæ Ducum, Exercituumq; victoriis,

Vrbis Moscuae excidio & gubernatione,

Sueticis insuper trophæis celeberrimus;

Mater EVA PACOWNA,

Illustrissimâ in Italia olim,

nunc in Lithuania, oriunda profapiâ,

Omnem CORVINORVM, & PACIORVM

cum sanguine in Eum transfuderunt

prudentiam, fortitudinem, magnanimitatem.

Auspicia sui Nominis

ex victoria ad Zelburgum de Succis parta,

antèquàm nasceretur, fortitus,

prævio quasi omine;

quòd Victoriæ filius, D. VINCENTIO Tutelari,

multorum hostium futurus esset

VICTOR VINCENTIVS.

Annorum quatuordecim, exterarq; adiit nationes.

VR-

VRBANO VIII, FERDINANDO III

Italiæ Germaniæq; Principibus,
ob indolem gratissimus.

Inde, è natali scilicet CORVINORVM solo,
post fata Patris redux in Patriam,
intumescentis Eni cohibetur undis.

Quasi eò reditum prohibere conarentur,
ubi cum hæreditate Civium erant odia possidenda.
In Patria florentissimam VLADISLAI Aulam,
Ipse gloriâ, favore Principis, opibus florentissimus

Dapifer Lithvaniæ incoluit.

IOANNI CASIMIRO Sueciæ Regi
non minùs adipiscendi Poloniæ Regni,
quàm Frater ejus CHRISTOPHORVS, in Galliâ Legat9
è carcere Gallico, Eidem libertatis,
quàm deniq; Pater utriusq;

SIGISMUNDO III, VLADISLAO IV,
obtinendi Moschoviæ sceptri

Author fuit.

Vidisses Gentem CORVINORVM
Avita olim sua decora; nunc IAGELLONIS deferre,
scilicet & libertatem, & Regna.

ad

Ad Łoiow promotâ strenuè de rebellibus Victoriâ;
 ad Mozyr, Bobroyfk, Pinsk,
 auxiliariâ Duci suo iunctâ manu,
 ad Irpien cæsis decem rebellium millibus:
 ad Dimir profligatis triginta Kozacorum millibus:
 ad Białocerkwiam gloriofè cum Tartaris compositâ pace:
 privatis suis opibus ibidem in obsequio Reip: exutus,
 cùm ingentem nonnisi gloriæ meritorumq;
 coacervâfset thefaurum,

Magni Ducatus Lithuanix agere iuffus est Thefaurariũ.
 Sumptâ deinde M. D. L. clavâ,
 multa raraq; Ducum, ad Mohiloviam, Vilnam,
 (excidii ejus tempore) præbuit exempla:
 fimul ingentem fatorum in fe concitavit invidiam.

Primũ

Libertate exutus, Suecorum Regi traditus,
 Digna tanto Victore præda.
 Sic namq; Poloniæ fata ferebant,
 ut Captivus Dux folveret nexum
 Suecorum & Moschorum contra Poloniam,
 & direptores Poloniæ olim socios,
 in mutuam armaret direptionem.

Liber jam inde,

lætus malis suis, major & clarior in restaurando bello,
damnisq; suis redditus terribilior:

proprio ære inexpugnabilem, suoq; Nomini
omni fortunâ fidum contraxit Exercitum:

cujus virtute

ad Prostki nobilem copiarum Suecicarum,
& Brandenburgicarum edidit stragem:

Birze totamq; Samogitiam Suecis eripuit;

& Balthici supremo prohibuit dominio.

Brandenburgico pacem ineundam cum Regno Poloniæ,
persuasit armatus.

Arces Livoniæ, Moschorum armis impervias,

Wendâ, Wolmir, Rombork, Armeth, Helmeth, Felin,

Treydan, Oberpal, attribuit Lithuanix.

Contra Moschorum potentiam, suo ævo insuperabilem
(alter Fabius) cunctando restituit rem.

Ad Caenam belli Dux de Moschis Victor,

ad Werki pro pace fancienda,

cum magno Moschoviæ Duce Cõmissarius,

post acerrimum sex horarum cum mille equitibus

contra 30000. certamen,

Bello

Bello aliàs & Legatione felix, circumventus,
 Captivus Dux & Legatus,
 Moscuã, asservandus in malorum remedium, deducitur.
 In Moschovia

Paternos exegit annos tres, menses sex:
 diversâ sorte, æquali merito,
 ille Prorex, hic Captivus.

Intereã Moschi, memorandas, ad Konotop, Polonkam,
 Basiam, Druck, Kuzliki, accepêre â Polonis clades,
 dum sibi ingentes Provincias
 datum iri pro Eo pollicentur.

Tum velut jam moniti Superis arbitris,
 velut quadriennali ejus carcere, sibi esset satisfactum,
 velut suorum Majorum Manibus,
 ab ejus Patre cæsorum esset parentatum;
 repentinâ animorum mutatione,
 in Captivi conversi misericordiam,
 non sine metu & cunctatione,
 Liberum pronuntiaverunt.

Pretium libertatis, non lytrum,
 nam Heros tactæ gloriæ tantiq; Nominis,
 etiam Moschorum iudicio, omne excessit pretium,

sed quinq; Moschorum Generalissimi Duces,
Principes Boiary fuêre.

Prodeunti ê Moschovia

ruebant in occursum, Patria, Exercitus, Amici, Affines;
plausus ubiq;, ubiq; seditiosis comes invidia:

imò,

si dimittentium hostium, & acceptantium
seditiosorum spectes animos,

Hosti avido ad detinendum, quàm seditiosis in Patria,
desideratior hospes.

Hostes cum dimiserant;

quia ferè moribundum, â suis met desperatum,
diutiùs detinere non poterant:

seditiosi acceptârunt triumphaliter,
quia Patriâ arcere non licuit.

Hostes magnitudinem ejus admirati,
ne sibi noceret, stringendum carcere,
seditiosi, ne seditioni obesset

vitâ exuendum censuerunt.

Ab hoste adempta libertas, sed non vita:
â concivibus utrumq;.

Multorum Victor Exercituum, â Civico Exercitu,

Yy

â cõ

à concivibus, à plebe armata, rebelli tumultu,
 Civis inclytus, Senator integerrimus,
 Dux Patriæ fidissimus,
 Patriæ concidit Victima.

Causa cædis,

res atrox, mira, & inaudita:

non nisi post peractam cædem,

ab ipsismet parricidis, quæsitæ; nec inventa.

Major quippe Ejus erat virtutis & animi Majestas,

quàm ut reatui cuiquam subjaceret.

Pretium Viri obitus ostendit:

cùm foris, externorum judicio,

dignior vitâ Heros, pro suis meritis censeretur,

domi, omnium, atq; adè ipsorummet parricidarum

votis, resuscitandus optaretur.

Mors Ejus nulli, nisi hostibus Patriæ extitit proficua:

cùm Gentem CORVINORVM,

excidiis Moscux & Livoniæ natam,

in Eo ruere, sibi gratularentur.

Patria tantum facinus abominata,

Vindicans ejus sanguinem,

pro Eo,

quem

quem cōmutatione quinq; Ducū Principumq; redemerat,
 quinq; seditionis reos, Comitiali decreto,
 capite plecti jussit:

pro Eo,

cujus merita & famam, cordi habuerat,
 reliquos cædis complices, infames pronuntiavit.

Habes ô Patria in VINCENTIO CORVINO

Tui ævi Scipionem Africanum,
 etiam funeri suo exilium indicentem,
 ne in ingrata Patria moreretur, sepelireturque.

Repræsentâstis ô Parricidæ,
 novum in Lithuania Belisarium:
 excessistis in cultissima Patria barbaricam tyrannidē.

Abi Viator,

ac illud sæpiùs ingemina:

*Infelices illi animi magni,
 qui la bentibus jam Monarchiis nascuntur.*

Quia

aut ad munera non adhibentur,

aut ruinae obsistere nequeunt;

aut eidem impliciti,

Miserè unâ corruunt, sine Honore & Fama

Yy2

*Sarvè.
 dva in
 symbolis*

CA

CAPUT XII.

COROLLARIUM HISTORIÆ
 seu ÆTAS REGNORVM Polonia, M. D.
 Lithuania, & Moschoria, per annos distincta.

*In Ross.
 Hist.*

HAbent etiam Regna suas ætates temporū-
 que vicissitudines, habent natalem, quā o-
 riuntur, habent supremam quā occidunt & de-
 ficiunt, diem. Hinc, quemadmodum ex solis Co-
 lossio Rhodio, multe statue fuse sunt, ita ex Ro-
 mano Imperio multa fundata Regna. Proscripti
 olim Romā populi, multis incognitis Gentibus
 è Septentrione, vel à mari Caspio, vel Mæoti
 Palude devolutis, nomina dedere & originem:
 Gotthi, Vandali, Venedi, Sclavi, Hunni, Ala-
 ni, Longobardi, Regnorum extitere progeni-
 tores. Certitudo tamen temporum & originis
 in ambiguo, apud gentes illas, quibus major
 ad præsens cura, armis propagandi imperii,
 quàm calamo proferendæ ad posteros, rerum
 gestarum memoriæ.

Ex ea ratione Moschorum quoq; origo &
 Nomen, antiquis scriptoribus, fuit incogni-

tum; idcirco non abs re videtur annectere, quando, & quâ ratione M. Moschoviæ Duces, ad tantam amplitudinem, quantam nunc videmus, sint evecti. Iam primùm omnium constat, Moschos à Monarchis Kioviensibus, quibus olim parebant, Imperium Russiæ derivâsse, (verâne successione, an simulatâ? causas procul habeo) ex quo *Svatoslaus* Kioviæ *Iedynowladca*, (id est Monarcha) à *Gedimino* M. Lithu: Duce Regno pulsus, Karaczewiam, Branscum, Wolodimiriam profugit: indeq; successores ejus, seu in vetustam coloniam, seu recenter à se conditam (obscuram tamen, Tartaris ignobiliter ferventem) Moscuam transtulerunt domicilium. Multâ deinde annorum serie exactâ, Nomen primùm, deinde Monarchia Moschorum crescere cœpit, maximè CASIMIRI III Pol: Regis conniventiâ. Senio ipse gravis, intentusq; evahendis filiis suis in Regnorum fastigia, VLADISLAO in Bohemicum, CASIMIRO seu IOANNE ALBERTO in Hungaricum, residuis in Polonicum, eripi sibi passus

Ma-

Magnam Novagardiam (quæ VITOLDO
centum millia aureorum tributi Nomine quot-
annis pendebat) cæterofq; Principatus à IO-
ANNE BASILIDE Moschoviæ Duce,
recenter libero à Tartarico iugo, ac deinceps
crescentem potentiam IOANNIS dissimula-
vit. Quâ ille cum suis posteris innixus, CASI-
MIR O ipsi, filiis, eorumq; successoribus gravis
esse cœpit: sensimq; suos fines & potentiam, in
tantum auxerunt Moschi, ut Supremus Turca-
rum Wezyrius, STËPHANO Regi Pol: su-
scepti belli Moschovitici precatus felicem exit-
tum, non dissimulanter coram Legato factus
fit, post Cæsaris Turcarum potentiam, primam
M. Ducis Moschoviæ se agnoscere.

*Heindē.
stein.*

Placet itaq; per annos ætatem Regnorū recē-
sere; eorūq; incunabula, incrementa, cognataq;
Regnis crescendi & decrescendi vices, (quibus
Poloniæ Lithuanix, Moschoviæ Principatus e-
xagitati,) è variis Authorib9 subnectere, quos vel
maximè in illo plusquàm triennali otio Moscho-
vitico, inter lectionē aliorū complurium librorū
evol-

evolui Duce & auspice ipso CORVINO, cui
 meritò & hoc ipsam opusculum meum debeo. Anno.
 POLONI LECHO suam debent originem. - 550.
 LITVANI PALÆMONEM suum Conditozem
 recognoscunt - - - - 900.
 Russia Kyg, Sczek, Korew, Libedam, colit
 Conditozes - - - - 861.

*Romulum & Remum, angustus non capiebat ager:
 quid mirum si uno compendio seculorum, nata, hec
 tria vastissima Regna, per multas etates, usq; ad ex-
 terminium certabunt.*

POLONI sub MIECZYSLAO Christiani - - 964.

LITVANI sub MENDOGO Cruciferis rei Chri-
 stianæ administris, quib; Samogitiã cedere coacti 1230.

sed MENDOGVVS ob ereptam sibi Samogitiã
 intuitu administrati Christianismi & Coro-
 nationis, redijt ad suos ritus; documentum
 præbens posteris, coactam religionem non
 fore stabilem.

Itaq; sub IAGELLONE secuta universalis Lit-
 uaniæ conuersio - - - - 1386.

Ruf-

RVSSI sub WOŁODIMIRO Christiani - 971.

Aemula Regna in aeternas itura simultates, iam tunc quo magis inter se dissiderent, diversos ritus & mores assumpserunt.

CRACOVIA condita à Craco. Vrbs muro cincta 1496. Arx à IAGELLONE hucusq; lignea, lapide cocto munita 1393. Palatium SIGISMVNDVS I. condidit. SIGISM. III restauravit & ornauit.

VILNA condita à GEDIMINO 1306. muro cincta sub ALEXANDRO - 1506.

KIOVIÆ fundamenta jecit KYG circa annum - 806.

MOSCVÆ & SMOLENSCVM muro cinctum - 1600.

Corona Pol: BOLESŁAO collata ab OTTONE III Rom: Imp: - 1001.

VLADISŁAVS ŁOKIETEK, Coronam GNIEZNA transfert CRACOVIAM - 1320.

LVDOVICVS in Hungariam 1372. IAGELLO inde reportat Cracouiam - 1412.

Corona Lituaniæ, cum baptismo collata Mendo ab INNOCENTIO IV. - 1230

Vitol.

- VITOLDO à SIGISMUNDO Imperatore - 1429.
- DANIEL Ruffiæ Rex coronatur Drohiczyni
ab Opifone & Prandota Crac: Ep: - - 1246.
- IWAN WASILEWICZ M. Dux Mosc: Coronam
& Titulos Regales petit à MAXIMILIANO
Imp. in præmium rupti fœderis cum SIGIS: I.
R. P. - - 1513.
- BASILIVS IWANOWICZ petit Coronam à
CLEMENTE VII. obstat SIG: AVGV: - 1552.
-
- Academiæ Crac: iecit fundamenta CASIMI-
RVS MAGNVS approbante VRBANO V. ubi
nunc Civitas Iudæorum - - 1361.
- IAGELLO transtulit intra Urbis mœnia - 1400.
- Academia Vilenfis à VALERIANO PROTA. 1570
- SOWICZ SZVSZKOWSKI sub SIGISM: AV-
GVSTO inducta: à STEPHANO REGE Priuile-
gio donata & à Successoribus confirmata, ap-
probante GREGORIO XIII. - 1579.
- DANIEL Ruffiæ Rex & ritum & linguam la-
tinam exterminare conatur. - - 1250.

Mirum illas duas gentes immotuisse
Zz Orbi,

Orbi, eruditione; hanc velle clarescere barbarie.
 Kiouiaë totiusq; Monarchiæ Ruffiæ diuifio, in
 uarios Principatus inter filios WOŁODIMIRI. 1000

Quibus dissentientibus,
 BOLESLAVS CHROBRI, R. Pol. Kiouiam
 Victor ingrediens, Portam auream fcidit gla-
 dio in fignum Victoriæ.

*Scilicet hac clauis Regibus, non Urbium folum aurea,
 fed Regnorum porta ferrea fpontè patefcunt.*

BOLESLAVS quoq; AVDAX Victor Kiouiaë 1060
 ingreffus, eandem portam geminatis vicibus
 fcidit. *Fortunata audacia, nifi Victorem gladium à
 porta Kiouienfi, in cedes fuorum, deinde STANIS-
 LAI Epi: Crac: conuertiffet.*

*Hinc Chrobreo gladio Victore, conquisita Corona;
 nimiùm Audaci gladio adempta.* 1061

Adempto per fummos Pontifices, Diademate,
 Polonia diuifa post mortem BOLES LA I
 KRZYWOVSTY, in Principatus CRACOVIAE, 1140
 Poznaniæ: Sendom: Siradiæ, Lanciciæ, Cui-
 uiæ, Mafouiæ, Plociæ, &c. omnem fui formi-
 dinem amiffit.

Tunc

*Tunc nobis Boleslai perière labores
Ruperunt nostrum regna subacta iugum,*

*Kiouia teplum Sophiæ condidit Iarostaus Mo- 034.
narcha, & laminis deauratis contexit.*

*Pium & splendidum opus, dum culmine gerit delu-
brum, barbaras gentes allexit in prædam. Splendor
namq; deaurati Capitolij euocauit usq; ex Africa &
Septentrione prædatores.*

Lituani olim incogniti Russos edomant. 1205.

*Lituani graues vicini, Polonis in uarios prin-
cipatus diuisis Opatow, Sendomiriam, invadunt
1242. Cuiaviam 1243. Lublinum 1273 1282. Duce m*

*Masouia captiuant 1262. Mendogus Masouiam,
Plociam, Prussiam, spoliat 1260. Lanciciam 1278.*

Witenes Ducem Lanciciæ prostrigat & cedit 1294.

Dobrzyniã populatur. Siradiam, Kalissiam, &c. tunc 1307.

*exitialibus inter se certarunt odijs hæc duo Regna, in
unam compagem arctius coalitura.*

*In remedium tot malorum Gedimini M. Ducis
Lit: filia expetita dataq; in connubium Casimi-*

ro Magno Regi P. *Vladislao* eiusq; patre super 1325.
 ftite. *Felix* connubium, cui innexa 25000. ca-
 ptiuorum dotis nomine, simul gratulati sunt & Spon-
 sis *felix* faustumq; imperium, & sibi libertatem.
Jagello ex Lituania vocatus ad Regnum Pol. ba- 1386.

ptizatus & coronatus foedus Lituanum cum Po-
 lonis instituit 1401. & 1413.

Idem foedus, *Vladislaus III.* filius *Jagellonis*
 confirmat, quod tamen sub *Casimiro III.* parum 1438.
 abfuit, quin abrumperetur multoties à Litua-
 nis repetentibus *Podoliam* & *Wolyniam*.

Idem foedus confirmant *Ioann. Albertus* & *Ale-*
xander M. D. L. 1499.

Terra Belzensis Regno adscribitur 1462.

Drobieciensis iuri polonico adjicitur 1516. *Bielscē-*
sis 1547. *Kiouia Podolia Wolynia* per pacta unio-
 nis, regno incorporatur; 1569.

Jagello & *Vitoldus* 140. millia *Cruciferorū* profli-
 gāt ad *Grunevaldum* 1410.

Obijt Vladislaus Jagello Anno 1434. Regni 48. atatis 80.

Russia interim à Polonorum armis li-
 bera

bera diuisa in Principatus (quamvis hi omnes utcunq; parebant supremo *Kiouia* Monarchæ & Polonorum Principum bellis auxiliarij immiscebantur) internis tamen grauiter laborabat disfidijs, eò facilius exceptura, suum per Tartaros exterminium.

Pereunt plerumq; felicia Regna, virium & magnitudinis suæ diuisione & Roma facile patet Alarico, Attila, Totile; dum Bizantinus diuisum imperium cum Roma Cæsar habet. Tu quoq; Palæologe, diuide in Bizantijs; Trapezanti, & Peloponesi orientale imperium, cum domo Lascari & Angela: ipse in tuis posteris, per turrim Angeli amissurus vitam cum imperio; illi tua fata sequentur. Constantinopolim capit Mahometes 29. maj

1453.

Trapezantium 1450 Peloponesum

1470.

Idem Cæsarem in Taurica Chersoneso vulgò Krym ca-

pit. Ægypti Mamaluchorum subuertit imperium Se-

1475.

limus, ipsumq; Tomumbeium suspendi iubet in porta

Cairi.

1517.

Zz3

Vladis-

Vladislaus ad Warnam casus 1444. Solymanus Budam occupat 1541. Viennam obsidet 1541. Rhodii capit 1522. Selimus II. Regnum Cypri 1570. eius clades ad Naupactum: 1571. Ad Russos redeo.

*Tartari ex Asia primùm effusi inuadunt Po- 1211.
łowcos: ij nunc sunt campi deserti inter Vkra-
nam & Tauricam, alluunturque fluminibus
Wolgâ, Tanai, Boristhene, Hypani vul-
gò Bob, & Tyrâ, Dniestr. Hinc Russi à Połowcis in
societatem communis belli inuitati, profligan-
tur à Tart. primùm, dein à Połowcis.*

*Inde victores Tartari impune populantur Kioui-
am, uniuersamq; Albam, Rubram, Nigram Rus-
siam (quo colore vexillorum ituri ad bellum
distingueantur) illaq; inundatio populorum
à Mari Caspio devoluta, involvit Poloniam, Hun-
gariam, Morauiam, Silesiam.*

*Polonis ad Chmielnik magno bello non prælio vi-
ctis; (namq; censentur nouem sacci auricula-
rum repleti) Cracouia ternis vicibus capta.*

Lublinum, Sandomiria, Masouia, Lancicia cum

exter-

exterminio expilata 1212, 1240, 124, 1242. 1260.

1267. 1287. &c. &c.

Witoldus ad Azonum superato Tanai victor con- 1397.

fligit cum Tamerlane, ad Worsklam vincitur sic fa-
tis volentibus, ut uterq; magnus bellator. euaderet & 1399.

victor & victus

Tamerlanes natus Sarmacandia, dicitur ex
utero matris manum plenam sanguine protulif-
se. Duces suos Kaydan, Peta, Perepet cum 500000.
militum, (nonnulli tradunt 1200000.) in bel-
la produxit; Baiazetthem Turc. Imperatorem ca-
ptinavit, aureisq; compedibus uinctum 1399.
in cauea ferrea circumduxit: equum ascen-
surus scabelli loco usus. Hungariam triennio
insedit. Obijt Sarmacandia.

Tartari à Vitoldo suos Principes accipiunt - 1419.

Moritur Vitoldus Trocis; sepelitur Vilna - 1430.

ei Bona Sfortia Regina Pol. Vilna posuit eius-
modi marmoreum Epitaphium Alexandro Vitoldo
Magno Duci Lituaniae optimè de sua Patria merito

posuit

posuit *BonaSfortia*, sed incendio *Moschouitico* lapis corruptus

Casimirum III. Principes *Tartarorum* venerantur. Ab eodem *Adzygerey* in Principem *Tartarorum* inauguratur præsentibus legatis *Tart.* & à *Radzivilio* in *Tauricanum* principatum deducitur

1443.

Russia dum premitur bello *Tartarico*

Gediminus M. D. Litu. 70. Principes *Rus. sive* profligat ad *Wolodimiriam*. *Euck, Chelm, Belz* capit,

1303.

ipsamq; *Kiouiã* caput *Monarchiæ*: *Swatostao* *Monarchâ* profugiente *Wolodimiriam* in *Moschouiam* usq; .Hinc apud *Moschos* nobilitatis *Wolodimiricæ* nunc cum primis celebre nomen. Scilicet inter *Polonos* & *Russos*, tertius diremit ueterem partium fortunam. Ite nunc opulenti *Kiouiæ* *Duces* extra portas auro tectas; imò extra fines totius vestri imperij; cum *Princeps* armis, quàm auro validior, *Vestra* deaurata subit mœnia

Casimirus Magnus Pol. Rex capit *Leopolim*, *Przemysl*,

myśl, Trębowl

1340.

Lituanis quoq; eripit Brestiam, Luck, Chelm, Belz, Kiouia permanente sub potestate Lituanorum.

1366.

Kiouia à Tartarorum Principe Ediga ultimò capta & exusta sub Jagellone, ut nunquam postea restitui potuerit suo splendori.

1416.

Kiouiam in potestate Lituanorum Olekowicij Ducis inter se partiuntur.

1455.

Olekwicij pro Ducatu Kiouensi datur ducatus Kopylensis & Slucensis.

1455.

Kiouia in formam Palatinatûs redacta à Casimiro III. primusq; Palatinus creatus Gastoldus. Sic illa uasti Septemtrionis Domina, effecta alieni dominij tenuis portio.

1455.

Per pacta unionis, cum M. D. L. cessit in ius Regni,

1569.

Grandis precij inferitur unio Corona Polonica, cum omnem gazam Ducum Litu: , vetustas Domos, & Kiouiam, Podoliam, Wołyniam, Braclauiam, Czernibouiam, Podlachiam, Prouincias Regni instar, in splendorem Corone Pol. contraxit.

Exindequè Polona gentis legati, cum Lituanis

Aaa

Mos-

Moscuam adire cœperunt primi Raphaël Leszczynski & Ioannes Krotoszynski 1569.

Kiouia nostro æuo per rebelles Kozacos dedita M. Mosc: Duci, nunc à Moschis possidetur. 1655.

Russi Papam pro Capite Ecclesiæ agnoscunt sub Casimiro III. 1476.

Russorum unitorum legatio Romam sub Sigismundo III. 1595.

Russiæ totius Pontificem se gerens Herasimus à Switrigellione Duce exurit. Et qui Russis lumen se inferre iactabat, ipse factus, magna lux mudi. 1433.

Isidorus Metropolita Kiou: cum Sbigneo Ep: Crac: simul creati Cardinales Romæ 1439.

Idem Moscuæ captiuatus, profugit. Scilicet in tam profundo Septentrione, ubi nox mentis præualet, Sacra Purpura non resplenduit. 1440.

Mutato, euerfoq; primum per Polonos, deinde Tartaros deniq; per Lituanos, Monarchiæ Kiouensis statu, Moscouiæ quoq; Duces, Tartarorum tributarij vixere. Longè post Iwan Wasilewicz excusso Tartarorum iugo se legitimum successorem totius Russicæ Monarchiæ, nonnunquam Augusti & Iulij Cæsarum hæredem proclamabat.

bat. *Martinus Cromerus* eam partem *Russiae* par-
uam & obscuram, quam *Moscua* fluvius alluit,
affirmat paruisse *Ioanni* cuidam *Danielis* filio,
cuius operâ ac successorum eius, ad eam deve-
nit vastitatem quam nunc conspiciamus, his
successibus.

<i>Olgerdus M. Lituania</i> Dux <i>Demetrio Semeczka</i>	
<i>Mosc:</i> Duci bellum denuntianti in æstatem, prior bellum ante Pascha intulit, <i>Moscua</i> co- pias admovit, ovumq; paschale ex pacto Du- ci tradidit: portæ verò hastam illisit.	1328.
<i>Moschi Neibausum</i> in <i>Liunia</i> dum oppugnant, occiso M. Duce diffugiunt.	1381.
<i>Moschi Tartarorum</i> iugum excutiunt.	1427.
<i>Magnâ Nouagardiâ</i> potiuntur quæ <i>Vitoldo</i> pen- debat tributi nomine centum millia aurcorû annuatim.	1478.
<i>Tueriam de Litanis</i> capiunt.	1485.
<i>Moschorum</i> potentia crescit <i>Casimiro III.</i> dis- simulante.	1490.
<i>Seueria</i> Duces offensi compressione digiti à Re- gio ianitore, ab <i>Alexandro</i> deficient ad <i>Ioannē</i> <i>Wasilewicz.</i>	1491.
Aaa2	<i>Alexander</i>

*Alexander M. Dux Litu: in spem pacis, filiam-
Ioannis Helenam ducit.* - - - - - n. 1494.

*Sed spem fortuna elusit. Nam cum credit se per co-
nubium pacem patriæ intulisse, causas aeternorum
bellorum, intulit.*

*Iuangorod in finibus Liunia ex opposito Naruæ
statuunt.* - - - - - 1492.

*M. Dux Mosc: Duces Mozaysci, Biāla, Wiaz-
ma, Ofemietczycenses, Branski, Czernibouia, Staro-
dubenses, Rylscenses, Putiwlia, Rezania, Toropez,
à Lituanis auellit, & genero suo Alexandro bel-
lum indicit.* - - - - - 1499.

*Moschi ad Wedrussam Ducem Constant: in Ostrog
captiuant.* - - - - - 1499.

*à Pletembergio Magistro Cruciferorum 130. mil.
ad Pskow profligantur.* - - - - - 1500.

*Iwan Wasilewicz ambit eligi in M. Ducem Lit.
post obitum Alexandri.* - - - - - 1506.

*Basilius Iwanowicz occupat & munit Iezierz-
szcze, Wielizelo Pleseouiam capit Lituanis sub-* 1506.

jectam: diadema & titulos Regales totius Rus- 1509.

sie petit à Maximiliano Imp: in præmium ru- 1513.

*pti fœderis cum Sigism: I. Rege Pol. Idem
quid*

quid agendum sit cum Rege Pol. mox capiēdo, consulit *Maximilianum*.

1514.

Const: Dux in *Ostrog* redux è *Mosc:* 1507. *Moschos* profligat, idem ad *Kropiwnnam* victor cē

1508.

80. millibus *Moscorum* - 8. Sept.

1514.

Moschi oppugnant *Smolenscum* 1499. 1500. 1501.

1502. tandem potiuntur proditione - 30. Iulij. 1514.

Moschi dum obsident *Polaciam*, cœlitus apparēte *S. Casimiro Lituani Dunam* superant, & *Mos-*

1518.

chos profligant Duce *Gastoldo*

S. Casimirus nascitur *Crac:* 1458. 3. Oct. moritur

1484. *Vilnae*. In Regnum *Hung:* vocatus 1472. in numerum *SS.* relatus 1521.

M. Dux Mosch: *Kazaniam* expugnat. 1522.

Astrachania Regno potitur *Basilus*. 1525.

Ditatus opibus aliene potentie, *Russos & Tartaros* 1554.

quasi terram & inferos contra *Reges Pol.* armanit.

Ita *Roma* crescit *Alba* ruinis; deinde everfione *Car-*

thaginis, deniq; spolijs *Asiaticis:* potentia & luxū spar-

sit per *Orbem*.

tantâ validus potentia *Basilus à Clemente VII*

petit insignia Regni: sed obfante *Sigism: August:*

non impetrat. Idem titulum *Car* usurpat, *Sigism:* 1552.

negat 1549. 1551. 1553. &c.

Mos-

- Moschorum & Suecorum bellum biennale 1555.*
 & idem *Basilius Lionium* deditam *Sigismundo* 1556.
Augusto inuadit, *Derpatum* expugnat, monet-
 q; *Augustum* ne se immisceat rebus *Liu: Sigis-* 1558.
mundo *Augusto* stante pro *Liunia*, *Basilius Po-*
lociam intercipit - - 1562.
Moschi ad Czafniki victi. - - 1567.
 Validissima sed irrita expeditio *Sigismundi Au-*
gusti ad *Radoszkowice*, ideoq; dicta bellū gallinaceū 1568.
Basilius Duci Holsatie & Piltinensi Magno ad
 se confugienti auxiliatur, eum Regem *Liou-*
nie creaturus. Cumq; uidet *Liouones* ad eum
 conuolare, ipsemet pro se *Lionium* occupat, 1569.
 cum exterminio *Liunica* nobilitatis in *Ascka-*
rad & Venda &c. & arcium demolitione qua-
 rum nunc plurima extant rudera.
-
- Tartari urbem Moscuam* totam incendunt, præ-
 ter *Kremlgorod* hinc sequenti anno superbè 1571.
 per legatos tributum postulantes 300 capite
 percuti iussit securi. Principes verò legatio-
 nis, labijs naso & auribus truncatos, donatos- 1572.
 q; securi, dimisit. *Tanti ille cladem & ignomi-*
niam

niam suæ gentis æstimabat, ut à uiolendis legatis,
qui iure gentium sancti sunt, non temperauerit.

Moschi Turcas à coniungendo per fossam Wol-
gâ & Tanai cum clade rejiciunt. Validissima 15:
sed irrita Moschorum expeditio in Tauricam 1689.
Krimeam

Stephanus Rex Polociam expugnat 1579.

Euki, Toropec, Wieliz, Nowel, Vswiat, Pleseoui-
am obsidet, Liunioniam liberat 1580.
1582.

Stephanus coronatus 1575. 5. Martij bellum gerit
contra Gedanenses 1577. Ketlerum Ducem Curlan-
diæ inuestiuit, Dzisne 1579. Riga Liunioniam or-
dinat 1582. à Zborouijs impetitur 1584. Rigensium
insolentiam còercendam destinat 1586. iudicia tri-
bunalitia instituit 1578. moritur Grodne 1586.

Demetrius M. Dux Mosch: coronatus & occi-
sus à Moschis. Mox alter Demetrius; an idem 1607.
incertum Moscuam obsidet biennio

Sigismundus III. ob communem Regum causã,
ob iura gentium violata legatos cæsos, mag-
na parte detentos bellum Moschis intulit 1609.

Smolenscum expugnauit 13 Junij 1611.

Stanislaus Zolkiewski 80. mil. Moschorũ & Suecorũ
12. millia profligauit

profligavit ad *Kluszynum*. *Moscuam* urbem
 in deditioem accepit. *Moschos* còegit ad fidē
 coram se præstandam *Vladislao* Pol. Principi
 electo *M. Mosc:* Duci. Idem *Szuyficium* *M. Mosc:* 1610.
 Ducem in comitijs *Varsaviae* victum produxit. 1611.
Moschi rebelles *Vladislao*, dum *Moscuam* re-
 cuperant pro *Michaële Fiedorowicz*, tota *Mos-*
chouia à *Polonis* victorijs peragrata, usq; ad
Auream anum 1612. *Vladislaus* Princeps *Moscu-* 1613.
am obsidet. Iam verò *Rex Smolensci* obsidio- 1618.
 nem victor soluit. - 1634.

ALEXIVS MICHAYŁOWICZ *Kozacos*, rebel-
 les in clientelam fuscipit. *Kiouiam*, *Vkrainam*,
Czernibouiam, *Smolenscum*, *Dabrownam*, *Mobi-*
louiam, *Borysow*, *Połock*, *Witebsk*, deditioem capit,
 religionis & sui honoris prætextu, ut *DEVM*
hominesq; in partem victorioso præda vocasse uideretur. 1654.
Vilnam, *Caunam*, *Grodnam*, victor occupat. - 1655.
Moschi ad *Brestiam* victi à *Paulo Sapiēba*: ad
Wierzchowice victores, utrobiq; pro victoria
 frante desperatione - 1655.
Rigam *Liunum* irritò eventu obsidet *Alexius*. 1656.
 ad *Werki* *Moschi* victores 1658. 21 Oct. sed dū
 for-

fortunæ & suæ potentiæ præfidunt, ad Konotop
cæduntur.

1659.

Ad Czudnow deditio Szerebethii Stanislao Potocki
& Geor. Lubomirski. Ad Połonkã & Basiam cæsi à
Paulo Sapieha & Steph. Czarniecki 1660. ad Kuszli-
ki à Zeronscio.

1660.

1661.

Armistitium coaluit post bellum annorum 13.

1667.

Sienko Razin rebellis Astrachaniam Moschis eripu-
it, mox captus, manibus, pedibus, & capite
truncatus Moscuæ, dulce Moschis exhibuit specta-
culum palo suffixus.

- 1670.

Vnio M. D. Litu: cum Regno Pol. coaluit adniten-
te Sigismundo Augusto Lublini.

1569

Nuntiorum Terrestrium ordo, (Patrio nomi-
ne Poselska izba) sumpsit initia sub Casimiro

III. Wislicia, potestas ad præsidium libertatis nata. 1468.

Tribunalis semina jacta in comitijs à Step-
hano Bathorio Rege Polonia

1577.

Artis tormentariæ & pulveris pyrij usq; inventy.

1376.

Ars Typographica adinventa.

1440.

Ars conficiendi ferici ex bombycibus à duob9
monachis ex Indijs illata.

1565.

Mirum tam atrociter naturam conspirasse in excidi-
um generis humani, ut prius formaverit artes, in

Ebb

eius

eius perniciem, quàm in culturam ingeniorum & corporis ornamenta.

Artis musicæ incrementa promota à *Guidone Aretino*.

- 1024.

Sal primùm Bochnæ reperitur.

- 1252.

Indiarum prima detectio auctore *Columbo* 1462. 1492.

America Vesputio 1492. *Alvaro Capralo Brasilia* detecta.

1500.

Acus nautica adinventæ.

1283.

Hollandi in Noua Zemla lustrant mare glaciale versùs *Chinam*, sed glacies eos reuerti còegit. Nam 30. *Augu*: glacie constricti commo-

1595.

rati sunt in eo mari ad 1. *Iunij*: solis cursum intra duos menses & dies 20. nusquam conspicientes. Inde binis scaphis residuis, nexi reversi sunt in *Hollandiam*

1597.

Liuania quamvis nunc alienas auxit opes, nihilominùs cum nostro sanguine parta sit, ac diu defensa, præstat attingere, quâ ratione in nostras devenit manus & contra *Moschos* propugnata. In *Liunioniam* Christianismus inuentus per *Lubecenses* & *Meinbardum* Epif: *Kirzholmiam*, *Riga* condita

1200.

Cruciferi

Cruciferi *Theuthonici* ab *Archiepo Rig:* in *Liou-*
niam introducti: ijdem Cruciferi *Archiepisco.* 1234.
pis Liouoniam eripiunt, defensi à *Rigensibus* se-
 quentibus annis. Cruciferi *Liouonici* ab obedi-
 entia *Magistri Prus.* pecuniâ se redimunt. 1513.
Pletemberg inductus ab *Alexandro Rege Pol.* spe
 communis belli suscipit expeditionem contra
Moschos, eorumq; 13000. profligat ad *Pskow*, suo-
 rum 12000. *Moschi Liouoniam* invadunt, *Derpatum* 1500.
 expugnant. *Liouonia* in comitijs *Augusta Vinde-* 1558.
licorum à *Ferdinando I.* per *Georgium Ziberg* in
 suo miserabili statu implorat opem contra 1559.
Moschos. Idem actum *Spiræ*. Cumq; *Ferd:* no-
 mine *S. R. I.* obtulisset 100. aureorum mil- 1560.
 lia in subsidium, *Liouones* potius nihil, quàm *Krācius*
 tantillum accipere maluerunt, protestatique
 sunt. *Sigismundi Augusti* expeditio in *Liouoniam*
 cū 110. mil. pro *Vilhelmo Brand.* suo sororio *Ar-*
chiepiscopo Rigensi incarcerato contra *Firsztem-*
bergium magistrum ordinis *Theuthonici*. Pri-
 mumq; foedus ad *Posvoliam* cum *Liouonia*. 1557.
Firsztemberg Felini expugnatus, captus, *Moscuæ*
 interijt. Inde *Liouonijis* implorantibus opem, *Lit:* 1558.

uani soli suscipiunt defensionem *Liunia* contra *Moschos*, tuenturq; usq; ad tempora *Stephani*. 1558.
Liunia à Principibus S. R. I. deserta, suscepta in clientelam *Sigismundi Augusti* quatenus Magni Ducis *Litvania*. 1560.

Livonum tertium fœdus cum *Sigis: Aug:* firmatum subscriptione Senatorum *Litv:* 36. Marchalcorum 7. Notariorum 4. cuius vigore ordo Cruciferorum sublatus; sigillum & privilegia Cæsarum, ipso consentiente Cæsare resignata *Nicolao Radziwił Nigro* in Archiuo M. D. L. *David Chytraus.*
 reservanda in arce *Rigensi*. Postridieq; *Gothardus Kethler* in foro *Rigensi* creatus *Livonia* gubernator, deposito Magistri Insigni. Stemma *Livonia* *Sigismundus Augustus* esse iussit Gryphem album in area rubra gladium vibrantē, pectore complexum literas S & A Regij nominis sibi implexas, Coronatas conservaturus apud posteros sui memoriam, & *Ioannis Chodkiewicz* Administratoris *Livonia*; quo ministro in tales leges convenēre. Atq; eius parens *Hieronymus* à Rom: Cæsare titulum Comitatus S. R. I. collatum & Gryphem pro insigni gerebat. *Sigismundus* 1567.

Sigismundus Augustus Gothardum Ketler Vilna cre- 1568.
avit *Curlandia Ducem.*

Stephanus Dżiņa 1579. Vladislaus IV. Iacobū
Vilna 1639. Fridericum Casimirum Ioannes III.
Reualia cum Esthonia prodita Erico Regi Sve-
cia à Duce Mechelburgensi Wilhelmo Coadiuto. 1567.
re Archiep. Rigensis; qui pro hac prodicione Lucas
Vilna sub custodia habitūs; ad instantiam Prin- Gornie-
cipum S. R. I. dimissus. ki

Ad Basilium M. Mosch. Ducem confugit Alsatia
Dux & Piltinensis Administrator Magnus indu-
ctus spe connubij cum sorore Basilij, & spe
Regni Liunia ad instar Ducis Prussia à Pol. 1569.
Rege creati. Livones læti, quasi veteri Rep.
ad Magnum confluunt, sed per quem libertatem
sperant, per eundem nanciscuntur servitium & ex- Heindē
cidium Venda, Ascheradi, Pernauia &c. stein
Magnus Vendam Reualiam sui iuris facit. 1670.

Sigismundus Augustus natus 1520. Crac. 1. Augu.
Coronatus in M. Ducem Litv: Vilna 1529. in
Regem Pol. 1530. Ad Remp: admoventur 1538. Lit-
vaniam administrare incipit 1541. Elisabetham
Austriacam ducit 1543. Barbaram Radziwiliam
1546. Bbb3 Coro.

Coronata 1551. Quarcianum militem instituit 1551. Vpitemsem Districtum erigit 1542. Moritur Knyszyni 1572. 12. Iulij. Primus Regum literas & diplomata propria manu subscribere coepit. Cum antea subscriptione Notarij & sigillo Regio tantum signarentur.

Stephani Regis contra Moschos expeditio pro vindicanda Livonia viribus Regni & Litvanie: 1679. quam vindicatam prudentissimus Rex qualiter in Ordinem redegerit, dignus scitu Heindensteinius. Stephanus Rex obiit Grodne 12. Dec: 1586.

Sigismundi III. expeditio in Livoniam contra Carolum Sudermania. - 1600.

Ioanne Zamoski in Livonia 1660. & abhinc 1601. iterum devoluta defensio Livonia ad Litvanos.

*Ioannes Carolus Chodkiewicz per plurimos felices conflictus administrat Livoniam, ad Kirch-
olmum 14. millia Suecorum proffigat. - 1605.*

Gustavus Adolphus Rigam potitus per Civium prodicionem. 27. Sept. 1621.

Fusio rem rerum variarum Elenchum per annos distinctum connotandi esset animus; sed quia pleræq; excedunt brevitatis compendium, & propo-

propositum opusculi nostri, studio supersedeo.
Smolenscum paulisper cum Lectore diuertamus.
 Vel potius, Heus tu *Smolenscum*? sepulchrum de-
 albatum, quid superbis turribus, & muro enor-
 mi, cum sis magnorum bellorum causa & clades
 gentium? citaris ad cognitionem nostram. *Smolenscenses* Duces progenitos se esse à *Wolodimiro*
Kiovia universæq; *Russia* Monarcha ferebant,
 uti & omnes alij *Russia* Principes scilicet *Pere-
 astavia*, *Magnæ Novagardia*, *Plescovia*, *Czernibo-
 via*, *Starodubi*, *Severia*, *Mscistavia*, *Wiazma*, *Mo-
 zaysci*, *Tveria*, *Rezania*, *Susdalia*, *Polocia*, *Witeb-
 scia*, *Odrucenses* ijq; multifariam diuisi in *Hory*,
Sokolnia, *Lubecz*, *Podberezie*, cæteri q; plurimi,
 quos vel vetustas obliteravit, vel domiciliorum
 vix restant rudera. Ad eundem *Wolodimirum*
 Magni quoq; *Moschovia* Duces se revocant *Sva-
 toslauum* *Kioviâ* profugum in suam trahentes li-
 neam: & exinde successionem hæreditariam
Smolenscia & *Kiovia* sibi vendicare, contendunt.
 Omnibusq; in illa Prouincia Privilegijs hunc
 titulum præfigunt. Ex patrimonio Magni Prin-
 cipis ac Domini &c. &c. *Smolenscensi*, datur in feu-
 dum

dum ager denominatus *N. N. Kuźma, Iwani, vel Mikita Hryszkonis filio &c. &c. Smolenscum itaq;* 1396.
Vitoldus M. Dux Litv: de Vasilone Duce Smolenscensi capit. Qui ad Sigismundum Imperatorem profugus perijt in Hungaria.

Georgius Vasilonis frater Smolenscum occupat: Vitoldus eodem anno recuperat. 1403.

Roboribus munitum Smolenscum sub Litvanis, Moschi oppugnant, Litvani strenuè defendunt 1502.
 1499. 1500. 1501.

Iwan Wasilewicz M. Mosch: Dux per proditiōē Glinjsi, capit 30. Iulij. 1514.

Boris Godienow lapidibus sectis & muro munit. Sigismundus III. capit à viva forza 13. Iunij. 1600.
 1611.

Vladislaus IV. de Schehino oppugnatore victor, eundem obsidet, & ad deditiōem armorū cogit. 1634.
 1654.

Alexius Michajłowicz Smolensco potitus deditiōe Principatus tot gentium armis, nunquam extremè edomitus, nunc tandem Moschorum servit imperio. Sed nos à conspectu Moschorum, ipsiusq; Smolensci iam tandem oculis ac mente recedamus. Cum verò & in Patria & in Moschorum.

Iam satis invalidos calamo lassavimus artus,

Et manus officium longius agra negat,

Tu Lector benevole,

Felix (dicas) quem sua terra tenet.

F I N I S

Ovidius

Ovidius

PROCESSVS IVDICIARIVS,

In causa cædis VINCENTII CORVINI
GOSIEWSKI.

ANte omnia auditi Legati ab Exercitu. Hi crimen horrendum, velatum titulo suæ Communitatis, contra Ducem magnorum meritorum; simul ejus magnitudinem recensuerunt: utq; in fontes inquireretur, & severè animadverteretur, supplicârunt.

Tum Instigator M. D. Lith: rem exorsus enumeravit magnitudinē, virtutes, merita CORVINI contra Directorem circuli, quem fuisse cōcitatore[m] omnium seditionum, probavit ejusmet manu scriptis & sigillo signatis literis. Lectæ publicè literæ ad Præfectum, quem Substitutum vocabant ZERONSCII, & ad Exercitum scriptæ: in quibus innuit, venditum esse Smolenscum; septuaginta naves Rigam transmissas cum auro & gemmis: frivole agere GOSIEVIVM cum Exercitu, Nexum seditionis militaris ab eo dissolvi. Aliæ literæ inuebant cum Externis literarum commercium,

scilicet

*Forma
totius
processus
iudiciari-
rii.*

scilicet cum Succis; eorum copias adduci ad Patriam opprimendam, Gallis libertatem vendi. Tertiæ literæ post captivationem G O S I E V I I scriptæ, præmonebant, ne admitteretur in castra Episcopus Vilnensis, homo infensus seditioni & sacro nexui. Tandem aliis literis, post peractam cædem scriptis, nuntiat â se diligenter conquiri documenta contra G O S I E V I V M, nec posse se conquirere, fatetur: hinc inconsultò actum esse arguit, quòd scripta ejus simul non sint intercepta. Præcavet denique aliis literis, P A C I V M moliri, resolutionem *Nexûs*. Monet ne se Præfectus obruat potu nimio: Exercitum & potentiam manu teneat: cum Exercitu Regni seditioso, conjunctionem armorum & animorum firmet per Legatos: commercium literarum omnibus præscindat: suis rebus attendat, easq; in futurum firmet. Lecta insuper copia literarum Præfecti militaris (quorum authenticum eâdem die, ipsemet fato suo Director ille produxit) quæ probabant militem
 Vilnanum

Vilnam missum, ab ejus consensu dependisse: quandoquidem noctu ad eum transmissæ literæ, & illius ab Vrbe expectabatur consensus in campis: illo consentiente, iubente per internuntios, in forum factam irruptionem. Literæ hæ Præfecti fusillimè scriptæ, hæc quinque continebant puncta, Primò. *Mitto ad te directè equitatum pro comprehendendo ZERONSCIO &c.* 2dò. *Pro GOSIEVIO, si tibi videbitur.* 3tiò. *Inibis modos, & aperies ei, quibus hoc opus aggredi debeat.* 4tò. *Si tibi non videbitur, non secuto effectu, obligaris ad secretum.* 5tò. *Ac in his eâ ratione procedas, ne & tuam & totius Exercitus ledas conscientiam.*

Ex scriptis & supra dictis, idem Instigator, eum esse perduellionis, Directorem circuli deduxit.

Instigator autem Regni, ex iisdem dictis probavit, fontes nec locum standi habere, nec vocem justificativam: unicum restare ad deliberandum, quo genere mortis pro tam atroci crimine, essent interimendi, adductis exemplis
pœna.

poenarum contra seditiosos, tam in Patria, quàm extra eam practicatorum.

A parte citati responsum. Meritò Republicam indolere fati GOSIEVII: citatum verò non fuisse authorem ejus interitûs, his probavit rationibus. Quòd nec ratione ullâ, nec se motore, exacerbatae mentes Exercitûs contra GOSIEVIVM: quidquid verò actum est, id proprio motu egisse Exercitum & Præfectum. In cujus rei fidem produxit Kobrinense decretum, in quo exprimitur, displicuisse Exercitui, datam directionem commissionis GOSIEVIO Vilnæ.

17. Dec.
Ratio-
nes eius
pro sua
defensio-
ne.

Produxit literas Præfecti ad se scriptas in quibus objurgatur ob neglectum literarum commercium; pluraque se scire aliunde de rebus Vilnæ gestis, quàm ab illo.

Militem nullatenùs se iubente aut consentiente, irruisse Vilnam affirmabat: nihilominùs non negabat duos ad se delegatos vespere venisse, nil tamen voluisse sibi tunc præsentibus aliis & videntibus aperire, donec mediâ nocte

ſte ſelopetis eodem munito ſuum cubiculum introiſſe: tum excepto juramento ſuper non evulgando ſecreto, rem eventuram ſummo manè aperuiſſe. Territum ſe & attonitum, invitum inſuper, permiſiſſe totum illorummet arbitrio, illorum conſilium nec laudâſſe, nec reprehendiſſe præ metu: literiſq; Præfecti pro tunc non lectis, mæſtum ſe obdormiviſſe ajebat: interea factam in Urbem irruptionem. Captivationem GOSIEVII, per literas Præfecto ſe exprobrâſſe. Sed is ibidem publicè negavit, ſe ullas viſiſſe ab illo hac de re literas, imò teſtes adduxit, ab eo factum captivationis ſummoperè collaudatum: literaſq; illi non noctu, ſed veſperi oblatas, lectas, approbatas.

Intulit Inſtigatoꝝ, ſibi minimè eſſe ſatiſfactum: immo propriis literis, inſuper teſtimoniis Præfecti & concaptivorum, ad oculum convictum eſſe citatum: utq; cauſam perduellionis GOSIEVIO & Cancellario producerent, probarent, quam in ſuis ſcriptis & di-

Eſſ

ctis

Etis antèhac injuriosè divulgaverunt, iterum iterumq; requirebat. Naves illas fuisse mercatorum Rigenfium, non Mofchoviticaf deduxit. Eafdem revifas ab ipfifmet militibus, demonftrâffe merces canabi, lini, non gemmas. Smolencum vi captum ante annos decem, etiam nunc poft fata G O S I E V I I, infideri forti præfidio, nec egere Mofchos ejus mercaturâ; cum fuæ præfidant potentia.

Suecos (quos jaçtabant adduci contra fe opprimendos) nullibi comparuiſſe hucusque. Hinc conſtat mera ejus hæc commenta ad concitanda odia fuiſſe adinventâ. Nihil ad hæc: folùmmodò literas illas de nocte latas fe non legiſſe, & totum arbitrio armatorum permiſiſſe respondebat citatus. Reliquas omnes objectiones & ſcripta, folâ negatione & retorſione in Præfectum Militiæ eludebat.

*Acta cõ-
tra Præ-
fectum
militiæ.*

Talia ad fui defenſionem Directore allegante, Præfectumq; Militiæ, omnium quæ ſibi obijciabantur reum incufante, non potuit ſuprema de fontis capite ferri ſententiâ; quin Præfectus

fectus militiæ audiretur. *Itaque à parte læsa hæc ei objecta.*

Primò. Conjunctio per vim cum Exercitu instituta.

Secundò. Proceres Militiæ ad subscribendum decretum coacti.

Tertiò. Literæ datæ *Novosynscio*, quibus cædes GOSIEVII imperabatur.

Quartò. Violatum jus postæ.

Quintò. Exercitus deductus in bona cæsi.

Sextò. Ibidem habita consilia, innovatæ cõjuraciones; erectum fortalitium.

Septimò. Arrogatum jus Regibus proprium, convocandi Proceres & Nobilitatem.

Octavò. Lectum insuper decretum mortis post cædem scriptum, in hæc verba: *compertâ manifestâ prodicione tam transmissis navibus Rigam, quàm in correspondendo cum Aula & Supremo Cancellario &c.* Hinc arrogatum jus proprium officio Thesaurarii, revidendi merces, transmittendi impediendiq; naves Dunâ Rigam, indeq; defluentes. Deduxit idem Instigator naves

illas fuisse Rigenſium, quibus ex vi paſtorum
 Olivenſium, tranſitus liber: qua de re Guber-
 natoris Suetici ibidem præſentatæ literæ. De-
 inde naves illas deportaſſe merces canabi, li-
 ni, niſq; aliud præterea: cùm tamen adver-
 ſarii calumniatores ſparſiſſent (ad excitanda
 odia) ſeptuaginta illis navibus, deportatam à
 Moſchis pecuniam & gemmas, aliquando tor-
 menta bellica, quandoq; ſalem, & his ſimilia
 deliria conſingebant. Inſuper publici ærarii de-
 bitum eas perſolviſſe, in cujus rei fidem, lectæ
 literæ paſſus, à G O S I E V I O datæ Rigenſi-
 bus, quæ ſpecificè mercatores, merces depor-
 tandas, & telonium perſolvendum recenſebant.
 Hic calumniæ exaggeratæ, tyrannis, mortis ſe-
 ries recensita, illata illi homini, cui debeba-
 mus tot res glorioſè geſtas; cujus prudentiâ
 res reſtitutæ &c. &c.

*Ratio-
 nes Præ-
 feſti mi-
 litia.*

A parte Præfeſti reſponſum

imò. Quidquid actum eſt, id ſe egiſſe ex
 mandato totius Exercitûs: idcirco omnes literæ
 à ſe

â se subscriptæ *Nomine Exercitûs*, ubi omnium vox libera, omnium regimen; se verò similem idolo fuisse.

Secundò. Seditiones nullas per se concitatas asseverabat, nec scivisse quidnam rerum Vilmæ gereretur. Vilmæ seditionem ortâ & in castra allatâ: se verò præstolando exolutionem stipendiorum, liberaliter cum commilitonibus bibisse.

Tertiò. Idcirco cùm cogeretur ab Exercitu, expedire Equitatum pro captivando GOSIEVIO, rem totam permisisse arbitrio Directoris circuli militaris, illis verbis: *si videbitur. Cave ne ledas tuam, & Exercitûs conscientiam.*

Quartò. Constare & inde ajebat, ex mente communitatis totius missum equitatum: quòd si proprio misisset arbitrio, potuisset Exercitus inire rationes eliberandi GOSIEVII.

Quintò. Negabat se dedisse vel minimum mandatum ad peragendam cædem.

Sextò. Imò scripsisse literas securitatis, quæ
non

non suâ culpâ, post peractam cædem, allatæ.

Séptimò. Ratione navium, similiter omnia per negationem expediebat.

Octavò. Decretum mortis negabat se subscripsisse, nisi ultimo loco, idq; â tota communitate coactum.

Nonò. Testimoniis militum & fontium objecit invaliditatem; cùm quisq; reus â se avertendo culpam, in eum coniciat.

Decimò. Querebatur, documenta sibi ablata, per quæ posset deducere suam innocentiam.

Vndecimò, Amnestiam (uti vocant) Comitiorum anni 1662 Exercitui concessam, pro sua defensione trahebat.

Duodecimò. Poscebat scrutinium, non Varsoviæ, non inter fontes, non ex carcere peragendum; illud allegans: *neminem captivabimus, nisi iure victum.*

E contra Instigatoris officium

*Contra
eundem
Præfecto*

Ad primum produxit manifestationes factas ab Exercitu contra Præfectum ratione vis sibi illatæ.

Ad

Ad zdum. 3. & 4. Literas Præfecti protulit, missionem militum omnibus inficiis; infestas vias præfidiis; sparsum variò Exercitum, ne quid pro cautela vel defensione cæsi attentaret.

Ad 6tum. & 7. Exposcebat (prout & antè hac) ut prodicionem, quam toties in suis literis jaçtabat, deduceret.

Ad 11mum. Amnestiam in Comitiiis concessã esse factorum ante Comitia, non faciendorum. Insuper criminales actiones, expressè in illa exclusas.

Ad 12mum. In tam evidentibus documentis, nullum requiri scrutinium. Insuper requisivit, ubinam vellet scrutinium institui? hîc adesse per Legatos Exercitum: hîc omnes cædis complices: hîc scripta omnia &c.

Instigator Regni legẽ Patriã produxit circa restitutionẽ famæ; utq; ei satisfaceret, poscebat; dum prodicionẽ toties scriptis & dictis vulgatã, deducere renuunt: interest quippe ut per eã honoris cæsi & superstitum, Posteritatisq; consulatur.

Subiunxit alius; ex dictis inferri utrumque
inno-

innocentem, crimen mutuò retorqueri, cùm unus afferat se ab Exercitu, alter Vilmâ abfuisse, hic Exercitum non concitâsse, ille mandatum cædi peragendæ non dedisse, hic Vilmâ scriptas literas cædis, ille equitatum non misisse: uterq; factum vel mutuò, vel in communitatem retorqueat: nihilominus, ex una parte scribitur, *Smolenscum venditum, innuit molimina, sat sapienti &c.* Ex altera, *mitto equitatum, si videbitur tibi: compertâ manifestâ proditione &c.* Nullum itaq; restare dubium, nullum locum scrutinio; suis rationibus & scriptis, fontes mutuò convinci.

24. *Dec.* Prævio juramento à parte læsa, super statuendis incorruptis testibus, deducebatur scrutinium.

30. *Dec.* Tum quò ampliora fontibus beneficia concederentur; tum in gratiam plurimum recenter ad comitia confluentium, ab Instigatore M. D. L. nuper productæ rationes, hodie contra fontem utrumque ornatissimâ eloquentiâ iteratæ. Quas oppugnavit fusissimè Director
mili-

militaris circuli negando objecta, retorquendo crimen in alios, literas VILNÆ scriptas, se subscripsisse, non tanquam privatum, sed tanquam Directorem, in quibus tametsi tangitur honor GOSIEVII; se tamen mente diversum sensisse: privato suo nomine nil, nisi coactum scripsisse vel dixisse, imò se commilitonem, concaptivum, ubiq; conscium integritatis GOSIEVIANÆ, non potuisse atomum etiam ei obijcere, testatus: qui biennio decubuit æger, nil unquam tractavit, nil transegit cum Moschis; cujus facta, dicta, intentiones, rectitudinem & integritatem ubiq; spirabant.

Instigator contra.

Consciis rectitudinis GOSIEVIANÆ, & concaptivus, obligaris negare subscriptionem, tuâq; hac negatione & testimonio tanquam Director, malefanos dirigere: conscius rectè factorum ejus, tueri integritatem, non verò annuere insanientibus, apponere manum, subscribendo condemnationem cæsi, confirmare insanorum iudicium.

Ggg

Ite-

Iterum Director. Se Nomini & Honori
 G O S I E V I I semper fuisse addictum: se
 ejus beneficiarium ob ingentes ejus virtutes,
 dotes, gratias, famam, & similia iactabat; idcir-
 cò damnabat semetipsum, uxorem, filios, to-
 tamq; domū mille periuriis. Post multa, facto ju-
 ramento, cum aliis viginti, evasionem poscebat.

Reliqui tres incarcerati, ministri cædis, &
 instrumenta seditionum, facilè convicti: cum
 pro sua defensione solam negationem, amne-
 stiam, libertatem, illamq; legem, *Neminem ca-*
ptivabimus nisi Jure victum, adducerent.

31. Dec. Semotis arbitris, in Senatu le-
 ctum Scrutinium partis utriusque, secutæ Ju-
 dicum quinquaginta octo sententiæ, inq; se-
 ram noctem protractæ. Tandem, haud aliàs
 intentiore populo, super eventu causæ; â Re-
 ge, (postquàm citatos fuisset rationibus &
 literis convinci; tum literas eorundem manu
 & sigillis munitas, vidit negari; jamque omnia
 beneficia iuris, quæcunque indulgeri poterant,
 indulgit) parti læsæ victoria iuris eo die est
 adiu-

adiudicata & promulgata.

Quâ præviâ, Rex

frequentissimo Senatu 2 Ian: per Marschal-
cum Curiaë Regni, ob conjurationem initam contra
Senatorem, Supremum Thesaurarium & Exercitûs
Ducem, Commissionis Marschalcum: ob irruptionem
factam modo guerrico in Civitatem metropolitanam:
ob violatam securitatem publicam Cõmissionis & po-
sta, ob captivationem eademq; prædicti Senatoris: ob
usurpatas universales scribendi literas ad Palatinatus,
ob initas Legationes, quibus atrocis facti improbitatem
comprobabant: ob proditiõis notam scriptis & dictis
irrogatam, (ad quam probandam nullatenus elici potu-
erunt) ob erectû fortalitium Szadowia &c. &c. De-
cretum infamiae, amissionis vite, & bonorum ad fi-
scum redigendorum, pronuntiavit. Tres quidem
cadis authores capite plecti, in quatuor partes dis-
secari, edixit; duos cadis ministros, in pœnam ca-
pitis condemnavit. Cateri cadis conscij perpetuâ
infamiâ aliisque pœnis Civilibus notati. In pro-
fugos pœna capitis & infamiae edicta.

3. Ianuarij in foro Varfaviensi executio
secuta: scripta quoque omnia, quibus illi glo-
riam

Decretû

Execu-
tio decreti.

riam C O R V I N I magnaue alia
Nomina læserunt, carnificis manu publicè ex-
usta, ut posteris.

Discant iustitiam moniti, & non temere Reges.




Folio ERRATA.

28. antecedere peditum	Legē	peditatum
29. De la Ifola		del Ifola
44. rei ferendæ		rei gerendæ
75. observamus		observavimus
126. secreto consilio		secretum consilium
138. <i>Moscho</i>		<i>Moschi</i>
152. neo		nec
153. De la umbres	Legē	Del umbres
158. vetustissimorum familiarium		vetustissima- rum familiarum
159. conservatur		conservari dicitur
166. æquorum vi	L.	æquarum vel æquorum
171. tinas	L.	tonnas
182. quos hac tenus	L.	habenis
182. ut quid interiora		quid inter se loq̄
201. Fæminæ Principes		fæminæ Principis
207. reservati		reservari
207. hos præsentī		hâc præsentī
230. propè	L.	probè.
233. is validis		ijs validis
246. Pelingam		Pekingam
246. quos par est		quo par est
253. allapso		allapfa
158. solenniter	L.	solenniter

274. equis in gyros actum	L.	equis in gyrū actis	
276. continetur	L.	continentur.	
302. in Moschorvia	L.	Moschorviam	
79. seiori	L.	sæviori	
310. Tanti consistit	L.	constitit	
321. audivisses	L.	vidisses	
335. propè	L.	probè	
364. Rheni	L.	Eni	
393. 13000 profi:	L.	130000.	





4 $\frac{L-17}{95}$

dr. S.
~~83~~

211
130

217
195

Lietuvos Mokslų Akademijos

BIBLIOTEKA

1- $\frac{L-17}{95}$